DE POEMATE LATINO

WALTHARIO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

CHARLES SCHWEITZER

DOCENDÆ LINGUÆ GERMANICÆ AGGREGATUS PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCLXXXIX

MAGISTRO MEO DILECTISSIMO

AUG. BARTH

. . . . accipe munera. . . . . .
Quæ tibi decreuit de larga promere cura
Qui tibi nam certus corde estque fidelis alumnus.

(*Waltharius, Prologus,* vv. 9 sq.)

PROŒMIUM

Libri plures ad nos pervenerunt, plerique XI-XIII sæculo exarati, atque carmen quoddam continentes 1456 latinis hexametris compositum, cujus heros Waltharius ad Attilensium fabularum cyclum manifesto pertinet. Quod poema quum olim Fauriel temerius gallicis litteris repetivit, postea certissimis testimoniis a germanicis scriptoribus monstratum est, idem ad germanicas litteras pertinere. Nullum enim, ne minimum quidem, reperiri potest in illo vestigium quod non germanicam originem oleat, neque ipsa fabula, neque locus ubi agitur, neque mores heroum, neque sermo latinus germanicum morem dicendi nonnullis locis prodens.

Præterea, postquam diutius dubitatum fuit quisnam auctor carmen scripserit, huic quoque quæstioni lux allata est ex historiographo quodam Gallensis monasterii, cujus testimoniis liquidum factum est, compositum fuisse poema in ipso monasterio Gallensi.

De quibus rebus quum a germanicis scriptoribus tam sæpe atque tam aperte quidem dissertum est, ut jam nihil in quæstione supersit quod non apud Germanos vulgatæ fere sit notitiæ, tum apud nostrates vix de his inventis hic vel illic strictim dictum est. Operæ ergo pretium nobis videbatur,

neque nostris fortasse litteris omnino inutile, ea quæ de re scripserint apud Germanos viri summæ scientiæ, paucis pagellis contrahere.

Quum vero puderet nonnisi alienas sententias referre, circumspeximus nonne in hac illustranda quæstione novi aliquid inexplorative possemus ipsi deprehendere. Neque spes fefellit : incitante enim viro eruditissimo, cujus de morte nuper tantus omnium luctus supervenit[1], sermoni atque rei metricæ carminis nostri perpendendis acriorem operam dedimus, atque post « largam curam » [2] quidem nobis ipsi videmur rationem quamdam invenisse, quam noster in inchoandis versiculis secutus sit, et quæ omnis in concentu quodam verborum versetur.

Ex hac vero ratione contigit præter spem, tanquam ex fonte, nova argumenta haurire de textu, de ævo codicum, de auctore, etc.

Nostram ergo dissertationem, si placebit, in duas partes dividemus: alteram de ipsa fabula, alteram de carmine.

In priore, postquam superstites codices, et quæcunque de re scripta editaque fuerint, enumeraverimus, brevius argumentum fabulæ exponemus; deinde monstrabimus quæ sit fabulæ cum aliis germanicis fabellis cognatio, quæ denique origo; postremo, quum diutius incompertum fuerit in qua regione fabula agatur, aliquot pagellæ adjiciendæ erunt de loco ubi heros noster cum hostibus pugnaverit.

In posteriore parte autem perquiremus primo qualis sit

1. Prof. A. Darmesteter.

2. Prologus, v. 10.

nostri sermo, deinde exponemus illa quæ deprehendimus de ratione metrica et concentu verborum.

Quum vero aliorum librorum lectiones propius, aliorum minus ad hanc rationem accedant, explorandum erit nonne ex his comparandis lectionibus conclusio quædam inferri possit de singulorum librorum auctoritate et ævo et de constituendo textu. Quem ut totum refingeremus, quum non satis nobis ipsi confideremus, hoc saltem suscepimus ut ex collatis libris monstraremus qualis omnium fons communis fuerit. Cujus natura quum a commentatoribus minus accurate, timeo, inspecta fuerit, evenit ut de auctore, aut ut verius loquar, de auctoribus poematis, plerosque opinio fefellerit. Nos vero ex eadem illa ratione metrica inferre conabimur, qui viri carmini nostro operam dederint, qui vero abstinuerint.

LIBRORUM MANUSCRIPTORUM ENUMERATIO[1]

Carminis nostri manuscriptos libros qui supersunt breviter enumerare liceat.

A Liber Caroliruhensis (Durlacher Hd.) ab a. 1772 in bibliotheca Caroliruhensi, n° 103, antea in possessione marcgraviorum de Baden-Baden, membr. forma octava, in eodem codice colligatus cum pluribus aliis libris s. XII, XIII et fortasse XV exaratis, quorum enumerationem habes apud Peiper, p. III sq., et apud Scheffel et Holder, 143 sq.; *Hystoria Waltarii regis* quæ ff. 224-248 continetur, inscriptis in unaquaque pagella 31 versibus, exarata videtur ineunte vel medio s. XII. Hunc librum primus contulit Molter a. 1782, postea Lassberg[2].

C Liber Stuttgardianus, membr. forma octava minuta, s. XIII, ut videtur, exaratus, in codice Theol. et phil., n° 41, qui præter carmen nostrum alia opera complectitur (quæ enumerat Peiper, p. V).

Ipse *Waltharius*, inscriptione carens, 24 foll. exaratus fuerat, quorum restant modo 18, amissis foliis 3-6, quæ continebant vv. 123-363 et ff. 23-24, vv. 1338 ad finem (1-

1. Cf. Jac. Grimm und Andr. Schmeller, *Lateinische Gedichte des X. und XI. Jh.* Göttingen, 1838, p. 54 sq. — Rud. Peiper, *Ekkehardi primi Waltharius*. Berolini MDCCCLXXIII, p. I sq. — J. V. Scheffel und A. Holder, *Waltharius*. Stuttgart, 1874, p. 143 sq.

2. De fatis hujus libri alii alias, minus certas quidem, conjecturas fecerunt. Cf. auctores in antecedenti nota citatos.

ad 22 habuit Fischer, 9-22 tantum Monius); inscripti sunt in singulis pagellis 29-30 versus.

Hic liber quin ex Ratisbonensi cœnobio S[ti] Emmerami provenerit, dubitari non potest: res his testimoniis probatur:

1° In vetere quodam Emmeramensi catal. fol. 20 n. LXXI (cf. Schmeller, *Serap.*, II, 265) citatur inter mss. qui subpriori P. E. Dawn conservandi mandati fuerant « Historia Attilæ regis metrica sed fine carens et incipit: tertia pars orbis, fratres, Europa vocatur, etc., et sunt tres quaterniculi parvissimi minusque legibiles. » Atque cernitur in libro nostro ad hunc diem numerus E. 20, quæ erat prioris codicis nota.

2° Joh. Aventinus, *Annales Boiorum,* II, 51 (Ingolstadij 1554, p. 230), dicit: « Reperi Reginoburgij in bibl. Divi Haimerami de rebus ab Attila gestis opus heroïco versu et latina lingua non ineleganter factum. Unde isthæc de Hunnis et Attila carmina excepi (vv. 9. sq.). »

Adde quod legitur in *Teutsche Chronika,* Frankf. a. M. 1622, p. 497 sq. « Es seyn viel alter Reimen und Meistergesäng bey uns vorhanden, von jm (nempe Attila) gemacht... Zu Regenspurg in S. Haimerans Liberey ist ein lateinisch Buch von seinen Geschichten, doch nicht gantz, geschrieben. »

3° Totus codex enumeratur in Catal: *Bibliotheca principalis ecclesiæ et monasterii ord. s. Benedicti ad s. Emmeramum epis. et martyr. Pars* II. Ratisb. 1748, p. 43, n. 250.

Dum ceteri codices e cœnobio S. Emmerami Monachium translati fuerunt, hic noster sua fata habuit. F. Chr. J. Fischer qui primus *Waltharium* edidit, refert *Præf.* VI: eo tempore cum de bavarica successione hereditaria bellum gereretur, « codicem s. XIII, membranaceum ex quodam cœnobio, in Bavaria sito, ad regium Britannicarum legationum consiliarium Dominum de Mosheim, illius cancellarii, qui Got-

tingæ quondam vixit atque æternam de historia ecclesiastica gloriam consecutus est, filium, Stuttgardiam translatum fuisse » ; postea, hunc librum a Mosheim Halas missum ipse Fischer a. 1779 describi jussit atque anno insequenti edidit Lipsiæ[1]. Defuncto Mosheim (cujus bibliotheca, 28 julii 1788, Stuttgardiæ sub hasta vendita fuit), liber noster in publicam bibliothecam hujus urbis venit[2]. Ceterum non parvus est numerus locorum, ubi aperte lectiones et Fischeriani et Stuttgardiani consentiunt. Ex. gr., v. 457 *calce natore;* v. 944 in utroque desideratur.

B Liber Bruxellensis, membr. bibl. burg. n. 5383 (antea 196) in codice 5380-5384, Pertzio judice (*Arch. francof.*, VII, 1007) s. XI, Peipero contra s. XII exaratus, olim Gemblacensis; continet præter *Waltharium* opera aliquot alia quæ in albo adscripserunt Scheffel et Holder, p. 148.

De collatione hujus codicis Peiper (p. IX) hæc habet : « Ex hoc libro postquam Monius Geraldi prologum descripsit in *Quellen* Aachen 1830, p. 182-184, excerpta dedit Reiffenbergius in *Annuarii bibl. belgicæ,* t. II, 1841, p. 45-106; III, 1842, p. 39-174 ; V, 1844, p. 35-152; Merilius hic illic inspexit textumque carminis aliquotiens inde refinxit (*Poésies populaires latines antérieures au XII^e s.* Paris, 1843); composuit quæ uterque dederat San-Marte versionis suæ appendice, p. 175-178. Quorum opera cum futilis fuisset, L. G. Provana totum carmen ex hoc codice descriptum dedit Augustæ Taurinorum a. 1848 (*Monum. Historiæ Patriæ Scriptorum,* t. III) adjecta scripturæ imagine parum simili. Quam editionem repetendam curavit ipso libro denuo, ut ait, comparato Neige-

---

1. Cf. infra, de publicatione codicum, et Fischer, *Sitten und Gebräuche der Europäer im V. und VI. Jahrh.,* p. 9 sq.

2. Cf. Scheffel et Holder, p. 145 sq.

baur Vratislaviensis Monachii 1853. At ne horum quidem opera exhaustus erat codex: non raro legentes errarunt velut... » (sequuntur exempla). Fortasse hic liber, ut censet Peiper, idem est cum Egmondiano libro qui est in vetere catalogo Egmondiano (ed. ab H. de Wyns a. 1804).

b Liber Parisinus, Biblioth. nat. 8488[a] (olim Colbertinus 6388), membr. Peiperi judicio XII s., Scheffelii et Holderi s. XI. In fine legitur: TERMINAT LIBER DUORUM SODALIUM WALTHARII ET HAGANONIS. Præter compendia quibus frequentissime librarius utitur, forma litterarum, præsertim majorum, litteraque *e* cum apice posita pro *æ*, et nonnulla alia testimonia s. XII indicare videntur; singulis pagellis 22 versus inscripti sunt. Post v. 1456: EXPLICIT LIB. TIFRIDI EP̃I CRASSI DE CIVITATE NULLA. Post Waltharium exaratas invenis duas pagellas Servii Honorati de ultimis et de penultimis syllabis. Hunc librum Scheffel et Holder ex cœnobio Epternachiensi (Luxemburg) provenisse suspicantur, exaratum vero curante abbate Thiofrido (†1110). Præterea, ni certissima indicia fallunt, est hic liber, ut suspicati sunt Scheffel et Holder, p. 149, idem cum F Grimmiano, quo olim usus est Prof. Marquardus Freher Myrtilletensis († 1614), qui de illo in *Originum Palatinarum Parte secunda,* c. XIII, p. 62, sic memorat: « sed antiquissimo quodam Anonymi carmine Latino non absimile nugamentum de Gybicone, Francorum Rege, Wormatiæ residente, ejusque filio Gunthario tum Walthario Aquitano, et Haganone, descriptum in veteribus membranis habeo: quod cum aliis ejus farinæ in Tomo Francicorum ἀνεκδότων propediem (ξὺν θεῷ) edere meditor. » Post hæc aliquos versus excipit, inter quos v. 1086

Antea quis fuimus *suspecti* sibila dantes,

præsertim notandus, quia *suspecti* lectio est propria Parisini cum Bruxellensi et Treverico. Hunc librum novissime contulit Fœrster, prof. Vindobonensis, in usum Peiperi. Cf. Peiper, p. LXIX.

T Liber Trevericus, s. XV-XVI chartaceis foliis luculentissime exaratus, olim Collegii Trevirensis Soc^tis IESV; expulso collegio, 1779 in Bibl. Univers.; ab anno 1799 in Bibl. civ. translatus est, ubi n° 2002 signatus est. Præter *Waltharium* continet hic codex nonnulla alia opera a diversis librariis exarata (cf. Peiper, p. XI). Hunc librum D^r Nolte suspicatur e monasterio Mediolacense prope Augustam Treverorum provenisse. Primus hunc librum contulit Peiper.

H Excerpta Novaliciensia quæ leguntur in *Chronico Novaliciensi* (l. II, c. 8-9). Qui liber, de quo fragmenta admodum supersunt ab anonymo quodam monacho compositum fuit s. XI (circiter a. MLX, ut censet Muratorius, Bethmanno vero judice ante a. 1027, Peipero c. s. XI medium). Perscriptus est in rotulo ex 28 membranis diversæ longitudinis composito, nunc archiv. reg. Augustæ Taurinorum (Novaliciensia mazzo 2, n. 20). Hæc excerpta (ex v. 93 usque ad v. 577) ita habentur, ut sæpius versus in pedestrem sermonem solvantur, et passim argumentum magis fabulæ quam ipsum carmen habeas.

D Liber Vindobonensis (olim *Salisburgensis*) n. 289 imp. reg. bibl., Tabulæ codicum manu scriptorum, I, p. 40, apud Endlicherum catal. n. CCVI, p. 108, 146 membr. foliis inscriptus, quorum f. 103^a-130^b *Waltharium* continent. Quem librum primus contulisse se gloriatur Peiper. Exaratum eum s. XI-XII existimat. Cf. quæ ipse de eo habet, p. VII. Singulas

libri partes, inter se alienas, et a s. IX ad XIII scriptas jam s. XIV colligatas fuisse testatur index vetustus qui est in fronte codicis ; codicem autem ipsum ex cœnobio S. Petri salisburgensi provenisse probant hæc verba f. 70r inscripta : « S. Cudberti confess. in Salzburck | Quem qui furetur pena furis crucietur. Amen. »

Ex eo descripti sunt duo alii :

D′ Liber chart. Vindobonensis, n. 9949 (olim Phil. n. CCXXVIII ; cf. Tabulæ VI, p. 114) ; ff. 5r-28v continentur vv. 1-808 et 1003-1385 carminis nostri sub titulo « Poesis de Heroe Vualthario ». De hoc libro sic Peiper : « Descriptus est ex nostro (i. e. ex vetustiore Vindobonensi membr.) non sine mendis s. XIV (vel potius XV) quo tempore priscus ille jam passus erat manum emendatricem, quæ plurima attrita tempore recenti atramento revocare studuit... factum hoc, ni fallor, s. XV ineunte ; atque etiam s. XVI quædam correcta sunt » (p. VII sq.).

Quum Edelius hunc librum in Lassbergii et Grimmii usum contulit (cf. *Arch. francof.*, II, 346-378), deerant ff. 5-8, quæ postea in alio codice reperta sunt ; unde error Peiperi qui dicit incipere fragmentum a v. 203. (Continent enim hæc ff. vv. 1-202.) Desiderantur ad hunc diem 4 ff. cum vv. 809-1002.

L Folia Lipsiensia, membr. s. XIII ineunte (bibl. univ. Lipsiensi n. 230) ; f. 1, vv. 143-213 ; f. 2, vv. 351-414 continent ; cohærent inter se ista folia, et facile videre poteris, inter utrumquæ quaternionis interiora folia duo, quæ 137 versus continebant, solutis suturis, excidisse. Reperta fuerunt hæc Lipsiensia folia conglutinata in interiore operculo membr. codicis n. 330, unde avulsa Dr Leyser in *Bericht*

v. J. 1837 an die Mitglieder der deutschen Gesellschaft in Leipzig, p. 41-46, primus edidit. Peiper denuo contulit.

I Folia XIII Engelbergensia (monasterium Engelbergense situm est in regione Unterwalden) vv. 1-492, 960-1233 complexa. Quæ postquam a Lassbergio in Grimmii usum collata sunt, ex bibliotheca monasterii ablata fuerunt, neque ad hunc diem indagare fuit quo abierint. Pertzius in *Arch. francof.*, t. VII, a. 1839, de illis sic loquitur : « am ende das Carmen de Walthario sec. XI, 13 blatt, jedes zu ungefähr 62 versen. » Grimm contra librum s. XIII exaratum censet, dum catalogus ipse Engelbergensis s. XII indicare videtur.

Postremo addenda enumeratio est eorum librorum qui ex veteribus catalogis innotuerunt, nunc vero amissi sunt[1] :

1° In catalogo, qui continetur in *Libro viventium* monasterii Fabariensis (Pfävers), atque c. a. 1155 scriptus fuit (nunc in archiv. S. Galli, membr.), recensetur volumen quoddam comprehendens « *Waltharium, Omerum, Fulgentium* et *Troianam historiam.* » [Bethmannus in *Arch. francof.* IX, 598; Birlinger, in *Haupt's Z. f. d. A.* XV. (N. F. III, 513.) Cf. Arx, *Gesch. d. Kantons St. Gallen*, 1, 295.]

2° Catalogus abbatiæ S[ti] Apri Tullensis (St-Evre) a. 1084 quem ex codice Monacensi Pal. M. 292, descripsit Docen in *Neuer. lit. Anz.* 1807, p. 73 (cf Schmeller in *Serapeo*, II, 247) tres libros manuscriptos *Waltharii* indicat :

Waltharius, vol. I.

Avianus cum Esopo et Hincmaro et Walthario, vol. I, et *Waltharius* per se, vol. I.

1. Cf. Peiper, p. XIII, et Scheffel u. Holder, p. 155.

3° In vetere catalogo Egmondiano ed. ab de H. Wyns a. 1804, mentio facta est de *Walthario;* quem librum dum Peiper eumdem esse suspicatur cum libro Bruxellensi, Scheffel et Holder in incendio cœnobii Egmondiani a Geusis excitato conflagrasse censent.

4° In Bertiniano monasterio (in Flandria) sine dubio fuit olim liber quidam *Waltharius :* nempe in codice S[ti] Audomari (St-Omer) n. 312 qui provenit ex hoc cœnobio, post *Explanationem in Hieremiam* alia manu s. XII (s. XI Monio judice) infima in pagella hic versus legitur :

Tertia pars orbis, fratres, Europa vocatur

(qui est primus carminis nostri) et infra :

pa fi

Gibico, Guntharius, Attila, Ospirin, Alphere, Waltharius, Hererieus, Hildgund, Hagano, quæ nomina sunt personarum carminis (pa = pater, fi = filius). [Monius, *Anz.* IV, 413 ; Bethmannus, *Arch. franc.*, VIII, 413, atque *Haupt's Zt. f. d. A.*, V, 206.]

5° Catalogus s. X scriptus qui est Bernæ in libro Bongarsiano n. III[b] *Waltharium* habet (Hagenus in Fleckeisenii *Annalibus* a. 1869 XC, 511); quem vix dubitant Scheffel et Holder eumdem fuisse cum libro quem misit Geraldus cum nuncupatione ad Erchambaldum episcopum. Fuit enim Jacobus de Bongars legatus regis Henrici IV apud germanicos principes (degebat 1554-1612) ; cui homini liber videtur venditus fuisse a canonicis protestantibus Argentorati; anonymum vero monasterium de quo sermo est in titulo catalogi (« autores hujus monasterii »), Scheffel et Holder arbitrantur esse Wizzenburgiense.

6° In cœnobio Murensi (in Argovia) s. XI testantur *Acta*

Murensia (cf. Fr. Kopp, *Vindiciæ Actorum Murensium,* 1750, p. 48) fuisse quondam duos libros de *Walthario.*

Porro hæc apud Peiper legimus: « Accedit Guntharii regis memoria quam in alteram Sancti Arnulfi genealogiam in codice Vindobonensi (*Hist. eccl.* n. 160, ff. 15-20) intrusam reperit Pertzius (*Arch. francof.* III, 667 : « Guntharius Germaniæ primæ regnum obtinuit ac primæ Belgicæ in qua Treveris, qui cum Walthario Hunorum obside fertur pugnasse.» Nec non videntur ex libris Waltharii Sangallensibus corruptis scilicet provenisse nomina quædam, quæ leguntur in indice Goldastiano (*Rerum alamann. scriptores,* II a 100) velut Ecgirih, Heririh, Herrich, Heririch, Hagano et Hagono, Randolf, Timo, Thimo, Thiemo, Simo, Gimo, Thruunt; itemque ex nostro carmine petita Scaramundi nominis memoria apud Graffium, II, 814. »

Quæ nostra enumeratio codicum multum abest ut omnino congruat cum illa quam apud Grimm reperies.

Hujus enim enumeratio hæc est :

A Caroliruhensis ;

B Parisinus ;

C Moshemianus ;

D Vindobonensis ;

E Stuttgardianus ;

I Fragmenta Engelsbergensia[1] ;

F G H litteris signat quæ excerpta apud Freherum, Aventinum et in Chronico Novaliciensi reperiuntur.

Imprimis manifesto apparet Trevericum, Lipsiensem, et

1. Quos libros in Grimmii usum Lassberg contulit.

Vindobonensium alterum (et eumdem vetustiorem) Grimmio omnino ignotos fuisse; quod ad Bruxellensem attinet, hunc librum existere noverat: quem quidem integrum et antiquissimum esse suspicatur, sed neque conferre eum, neque collato uti datum est.

Præterea gravissimus error latet in illo quod refert de « Moshemiano ». Amissum illum putat, cum contra certissimis quæ supra enumeravimus testimoniis constet hunc ipsum, quo olim Fischer usus est, eumdem esse cum Stuttgardiano neque Aventinum ullum alium librum manibus trivisse quam hunc Stuttgardianum. Ergo in summa quos libros tribus diversis litteris C E G significavit Grimm, ii in unum et eumdem cogendi sunt, qui est noster Stuttgardianus.

INDEX

AUCTORUM ET LIBRORUM QUI AD WALTHARIANAM QUÆSTIONEM PERTINENT ET NOBIS AD SUSCIPIENDUM OPUSCULUM PROFUERUNT[1]

De publicatione Codicum res ita se habet.

Primus Marq. Freher, ut supra diximus (*Origin. palat.*, II, c. 13, p. 62, ed. 1612), mentionem facit de *Walthario,* quem « in veteribus membranis descriptum habebat » (Parisinum, fortasse) et quem « propediem edere meditabatur ». Neque tamen vir promissa implevit : præter vv. 431-434 et 1085-1089 et in fine 1445, 46 nihil unquam publicavit.

Pariter Aventimus, ut vidimus (*Annal. Bojor.*, II, c. 53, p. 230, ed. Lips. 1710), ex Stuttgardiano nihil nisi fragmenta protulit, duos modo versus.

Primus si non integrum contextum, at saltem majorem partem carminis (vv. 1-1337) edidit

Fried. Christ. Jonathan. Fischer. *De prima expeditione Attilæ, regis Hunnorum, in Gallias ac de rebus gestis Waltharii, Aquitanorum principis, carmen epicum sæculi VI. Ex codice manuscripto membranaceo,... nunc primum in lucem productum.* Lipsiæ, 1780, 4° (cum præfatione et commen-

1. Cf. San-Marte, p. 1 sq. — Peiper, p. LXXIII sq. — Scheffel u. Holder, p. 174 sq. — Gœdeke, *Grundriss,* II ed., p. 14.

*

tario). Codex quo utebatur Fischer (ut vidimus) Moshemianus, nempe Stuttgardianus.

In hoc libro cum desiderarentur vv. 1338 usque ad 1456, supplevit illos

Molter (adhibito Caroliruhensi) in *Meusel's Hist. Literatur f. d. J. 1782*, p. 370-374. *Carminis epici sæculi VI Continuatio*

Hæc autem supplementa recudi jussit Fischer in libro *Sitten und Gebräuche der Europäer im V. und VI. Jahr.* Frankf. a. 1784, p. 213-216, atque iterum, Lips., 1792.

Totum carmen secundum Caroliruhensem maxime codicem, receptis tamen multis quæ vel Stuttgardianus præbebat, vel ipse excogitaverat, edidit

Molter in *Beiträge zur Geschichte und Litteratur. Aus einigen Handschriften der Markgräflich Badischen Bibliothek.* Frankfurt a. M., 1798, p. 212-268.

Leyser folia Lipsiensia edidit in *Bericht an die Mitglieder der deutschen Gesellschaft in Leipzig*, 1837, p. 41-46.

Chronicon Novaliciense non semel editum:

Chronici Monasterii Novaliciensis fragmenta quæ supersunt, auctore monacho anonymo scribente circiter ann. Christ. æræ MLX. (Muratori, *Rer. Ital. Script.* T. II. P. II, p. 704-706.) Cf. *Antiq. ital. med. ævi III*, p. 964 sq.

Quem textum Bethmannus 1846 in Pertzii *Monumentis Germaniæ historicis*, SS. VII, p. 73-133, et San-Marte, in suo libro, *Walther von Aquitanien* (*Beilage V*), excudi jusserunt, pariter Peiper, p. 99 sq.

Accuratissimam editionem totius carminis dederunt nostro sæculo (sex diversis manuscriptis adhibitis)

Grimm und Schmeller: *Lateinische Gedichte des X. u. XI. Jahrhunderts.* Göttingen 1838, p. 1-126, 383-385.

Paucis post annis Edéléstand Du Méril in *Poésies populaires latines antérieures au* XII[e] *siècle* (Paris, 1843, p. 313-

377) Grimmianum contextum nova recensione auxit, adhibito codice Bruxellensi, quem conferre Grimmio, ut diximus, non contigerat.

Præterea :

L. G. Provana. *Waltharius.... ex recensione Cod. R. B. Bruxellensis.* Augustæ Taurinorum, 1848 (in *Monumenta Historiæ Patriæ Scriptorum,* t. III).

Neigebaur. *Waltharius poema sæculi decimi ex recensione Cod. R. B. Bruxellensis....* Monachii, 1853. Cf. quæ de his tribus editionibus supra diximus.

Mone. *Quellen und Forschungen,* Aachen, 1830, p. 182-184, prologum Geraldi ex Bruxellensi edidit. Cf. eumdem : *Ueber Walther von Aquitanien* in *Arch. francof.,* II, p. 92-116, et *Varianten der Stuttgarder hds.* Anzeiger V, 415 (1836).

Nostris diebus Peiper, cunctis qui supersunt codicibus diligentissime denuo collatis, novam editionem protulit, atque eam doctissimo commentario ornatam : *Ekkehardi primi Waltharius.* Berolini apud Weidmannos, 1873.

Postremo Scheffel und Holder archetypi contextum instauravisse sibi videntur in *Waltharius, lat. Gedicht des zehnten Jahrhunderts.* Stuttgart, 1874.

Compluries versum est sive sincerius sive liberius poema nostrum quum in germanicam, tum in alias linguas.

Fr. Molter. *Prinz Walther von Aquitanien. Ein Heldengedicht aus dem sechsten Jahrhundert.... metrisch übersetzt.* Carlsruhe, 1782 (et 1818), 8°.

G. Klemm. *Attila nach der Geschichte, Sage und Legende dargestellt.* Leipzig, 1827, 8° (in germanicis hexametris).

Schwab. *Walther und Hiltgund* (*Gedichte v. G. Schwab* B. II. Stuttgart u. Tübingen, Cotta, 1829.

Genthe, *Deutsche Dichtungen des Mittelalters*. B. III. Eisleben, 1846.

Osterwald, *Erzählungen aus der alten deutschen Welt*. Th. III. Halle, Waisenhaus, 1850.

Stöber. *Walther von Wasgenstein und Hildegunde, eine altdeutsche Heldendichtung. In gedrängter Erzählung mitgetheilt, in « Alsatia »*, 1852, p. 51-73.

San-Marte. *Walther von Aquitanien.... übersetzt und erläutert*. Magdeburg, 1853, 8°.

A. Geyder. *Walther von Aquitanien. Eine altdeutsche Heldensage im Versmasse des Nibelungenliedes*. Breslau, 1854, 8°.

Bacmeister. *Die Geschichte von Walther und Hildegund...* Reutlingen, 1864.

Linnig. *Walther von Aquitanien. Heldengedicht in zwölf Gesängen, mit Erläuterungen und Beiträgen zur Heldensage und Mythologie*. Paderborn, 1869, gr. 16°.

Simrock. *Das Heldenbuch*. (B. III, *das kleine Heldenbuch*.) Stuttgart u. Augsburg, Cotta, 1874, 8°.

J. V. Scheffel. *Ekkehard. Eine Geschichte aus dem zehnten Jahrhundert*, p. 108 sq. Frankfurt, Meidinger, 1855. Cf. Scheffel und Holder. *Waltharius nach der handschriftlichen Ueberlieferung berichtigt, mit deutscher Uebertragung und Erläuterungen*. Stuttgart, 1874.

W. J. Manssen. *Ekkehard een verhaal uit de tiende eeuw*. Rotterdam, 1870. *Tweede deel, tiende hoofdstuk : het Waltarilied*.

S. Delffs. *Ekkehard, a tale of the tenth century. Collection of german authors*. Leipzig, Tauchnitz. Vol. 21, 1872. Chapter XXIV : *The song of Walthari*.

De Reiffenberg. *Des Légendes poétiques relatives aux invasions des Huns dans les Gaules, et du poème de Waltharius,* in *Bulletins de l'Académie royale des sciences et belles-lettres de Bruxelles,* V (1838), n^os 597-613. *Revue de Bruxelles,* 1838, décembre, p. 1-33; 1839, mars, p. 28-49; août, p. 35-64. — *Waltharius manu fortis ou Walther d'Aquitaine,* in *Annuaire de la bibl. roy. de Belgique,* II, 1841, p. 45-106; III, 1842, p. 39-174; V, 1844, p. 35-152. Traductum est poema in gallicum pedestrem sermonem.

Two leaves of king Walderes lay, published by G. Stephens. London, 1860. Quæ fragmenta edid. Scheffel et Holder, p. 168 sq. Cf. Müllenhof, in *Haupt's Zeitschrift,* XII, 264-279.

Th. Gr. v. Karajan: *Ueber die Bruchstücke eines deutschen Walther in Strophenform aus dem 13. Jahrh.* § 102. Quæ fragmenta edita habes ab eodem in *Der Schatzgræber.* Leipzig, 1842; iterum recudi jussit San-Marte, *Beilage IV.* Cf. *Haupt's Zeitschrift,* II, 216 sq., *von der Hagens Germania,* V, 114, etc., etc. A. Koberstein (Bartsch), *Gesch. d. d. Nationalliteratur.* Leipzig, 1872, p. 202 sq.

Eine polnische Sage, ap. Sommersberg. *Silesiacarum rerum scriptores,* Lipsiæ, 1730, t. II, p. 37-39 (Cf. San-Marte, *Die polnische Königssage,* Berlin, 1848, et Rischka, *Verhältniss der poln. Sage v. Walgiers Wdaly zu den deutschen Sagen von Walther von Aquitanien,* Progr. Brody, 1879.

Commentarios de *Walthario* ediderunt:

Præter Fischer (Fr. Chr. J.) *Sitten und Gebräuche der Europäer im V. und VI. Jahrhundert,* p. 213. Frankfurt a. d. O.,

1784, præter Grimm et Schmeller, præter Peiper, Scheffel et Holder in editionibus suis (vid. supra)

Gian Francesco Gallani Napione in *Opera de Piemontesi illustri*. Torino, 1784, t. IV, p. 165 (epitomen carminis dedit, quod ex Italia in Bavariam translatum circa a. 1071 suspicatur).

Jac. Grimm. *Ospirn die Herben und Hagano,* in *Altdeutsche Wälder,* II, 42-45, in *Götting. Gel. Anzeigen* 1838, st. 137, p. 1361-64, *Nachtrag, st.* 141, p. 1408 (*Kleine Schriften,* V, 286-288), Berichtigungen in *Haupt's und Hoffmann's Altdeutsche Blätter,* II, 324.

W. Grimm, *Deutsche Heldensage,* 1829, p. 29, 302, 367 sq., et *Zur Geschichte des Reims,* p. 148.

Lachmann, *Kritik der Nibelungen-Sage,* p. 439.

Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde (*Arch. francof.*) [ed. a Büchler et Dümge, postea vero a Pertz], t. I, p. 37, 65, 133, 194, 243, 342, 355, 367 sq., 374, 499, 533; II, 39, 132, 151, 282, 346, 371, 378, 412; III, 199, 373, 667; VI, 314; VII, 1007 ubi nonnullorum (inter quos Grimm, Lassberg, Aretin, Dümge, Mannert, Pertz) judicia de *Walthario* reperies.

Orellius v. 1154 emendavit in *Epistola critica ad Madvigium,* præfixa editioni Oratoris, Bruti, Topicorum Ciceronianorum, Turicensi a. 1830, p. XIV.

C. P. G. Falkenheimer. *De Walthario Aquitano latino illo decimi sæculi carmine et de natura variaque specie fabulæ in hoc poemate nobis exhibitæ dissertatio inauguralis....* Marburgi Hassorum, 1846.

Geyder. *Anmerkungen zum Waltharius.* In *Zeitschrift für deutsches Alterthum.* B. IX (1853), 145-166.

Linnig, vid. supra.

San-Marte, in *Zarncke's Literar. Centralblatt,* 1873, nº 25.

(Idem in editione sua (vide supra) accuratissimas explanationes dedit.)

Pannenborg *Götting. Gel Anzeigen,* 1873, p. 1121-1141.

W. Meyer. *Philologische Bemerkungen zum Waltharius,* 1873.

E. Müller. *Zum Waltharius* (*Zeitschrift für Philologie,* vol. IX p. 161.)

Uhland. *Schriften zur Geschichte der deutschen Sage und Dichtung,* I, 1865, p. 430 sq. *Elsässisches Samstagsblatt,* XI, n° 29, 21 Juli 1866.

Schœpflin. *Alsatia illustrata,* I, 149 sq.

Wilhelm Scherer. *Der Wasgenstein in der Sage. Vortrag gehalten in der Versammlung des Vogesenclubs der Section Strassburg den 6. Dez.* 1873, in *Mittheilungen aus dem Vogesenclub* n° 2, ed. 1. Apr. 1874, Strassburg:

Aug. Becker. *Der Schauplatz des Waltharíliedes Westermanns Monatshefte,* n. 344, 345 (1885).

J. Bæhr. *Geschichte der römischen Litteratur im Karolingischen Zeitalter.* Carlsruhe, 1840, p. 133-138.

A. Koberstein. *Grundriss der Geschichte der deutschen Nationallitteratur,* 5te Aufl. 1872, I, § 34, p. 49.

Wackernagel. *Geschichte der deutschen Litteratur,* 1848, § 35, p. 71.

Gervinus, *Geschichte der deutschen Dichtung,* 1871, p. 82-85.

K. Gœdeke. *Grundriss zur Geschichte der deutschen Dichtung,* 2te Auflage. Dresden, 1884, I, § 11.

Heinrich. *Hist. de la litt. allem.,* I, p. 30 sq.

Fauriel. *Histoire de la poésie provençale,* I, 269.

J. J. Ampère. *Histoire littéraire de la France,* II.

Ch. d'Héricault. *Essai sur l'origine de l'épopée française et sur son hist. au moyen âge.* Paris, 1860.

Paul Meyer. *Bibl. de l'École des Chartes,* 5, II, 84-89.

Gaston Paris. *Histoire poétique de Charlemagne,* p. 50 sq.

Léon Gautier. *Les Épopées françaises,* I, p. 104.

Jordan. *Der epische Vers der Germanen.* Frankf. a. M. u. Leipzig, 1868.

Lucianus Mueller. *De re metrica.* Lipsiæ, MDCCCLXI.

L. Havet, *Cours élémentaire de métrique grecque et latine,* rédigé par L. Duvau. Paris, 1886.

PARS PRIOR

CAPUT I.

POEMATIS ARGUMENTUM.

Porro argumentum carminis de quo hæc dissertatio futura est, quam brevissime exponere liceat.

Attila duce, Hunni castra moverant e Pannonia, et transito Istro, Rhenum versus arma tulerant. Transrhenani principes, cum non satis viribus suis confiderent, ad hostem propinquantem legatos miserunt, qui, adductis obsidibus nec non promisso censu, pacem impetraverunt. Itaque rex Burgundiæ, Heriricus (regnabat ille Cavilloni) filiam suam Hiltgundem; rex Aquitanorum, Alphere, Waltharium filium; Gibicho vero, Francorum princeps, qui Wormatiæ sedebat, quum ipsius filius Guntharius adhuc infans esset, puerum quemdam nobili gente natum, Haganonem nomine, obsides obtulerunt. Cum his tribus Avares, præterea ingentibus gazis onerati, in Pannoniam redierunt.

Exules autem pueros Attila singulari benevolentia circumdedit et quasi proprios heredes educari voluit; Waltharium Haganonemque omni disciplina militari instruendos curavit, imo, cum ceteros et robore et animo superarent, militiæ præfecit. Virgo vero, quæ non modo optima indole et præstanti forma, sed etiam eximia in omni operum genere industria eminebat, reginam sibi conciliavit; deinde regalis

ærarii custodiæ præposita, adeo valuit auctoritate ut haud multum abesset quin ipsa regnaret.

Interea, defuncto Gibichone, Guntharius regno successit et ilico fœdus cum Hunnis pactum dissolvit, censum se diutius passurum esse negans. Quo cognito, Hagano fugam nocte parat et ad dominum properat.

Neque Waltharius minore aufugiendi studio ardebat. Sed cum Hiltgundem maximo amore diligeret (pater enim Alphere, et Hiltgundis pater, Heriricus, jusjurandum inter se dederant ut liberos connubio jungerent), secum meditabatur quomodo puellam una secum abduceret.

Huic ergo quadam die, cum in regis cubili solam offendit, consilium aperit; addit ut omnia paret ad iter faciendum necessaria, scilicet arma cibosque, præsertim vero duo scrinia aureis armillis impleta, quorum ingens copia in regalibus thesauris præsto erat.

Paucis post diebus ipse regi reginæque atque ceteris « satrapis » convivia magno sumptu parat; media vero nocte, cum omnes et duces et famulos, quin etiam ipsum Attilam vino sepultos et passim per ædes humi recubantes videt, equo e stabulis adducto bina scrinia cum viaticis imponit; tum armatus et quasi ad pugnam paratus, « Leonem » (quod erat nomen equo) cum puella conscendit, cui lora mandat, ipse hastam dextra, sinistra clipeum tenens.

Fugiunt ergo omni nocte properantes, diebus autem silvis latitantes, et montium invia sectantes. Waltharius vero, simul atque iter pergebat, cibum quotidie parabat, volucres et pisces capiendo; providus enim hamos et fissa ligna secum abstulerat.

Post quatuordecim dies venerant, inumbrante jam vespera, ad flumen Rhenum contra Wormatiam, ubi rex Guntharius sedebat. Portitorem, qui juxta ripam stabat, rogat Waltharius

ut sese cum puella transponat; et pro naulo pisces aliquot antea captos donat. Quos postridie portitor regali coquo tulit, regi apponendos. Rex autem, cum tales in Francia nondum vidisset, miratur et inquirit cujas homo eos attulerit. Advocatus portitor mentionem facit herois et virginis, duorumque scriniorum quæ, incedente equo, gemmarum et auri sonitum dedissent.

Quo audito, Hagano: « Congaudete mihi ! » clamat,

« Waltharius collega meus remeavit ab Hunnis ! »

At contra rex :

« Congaudete mihi jubeo, quia talia vixi !
Gazam quam Gibicho regi transmisit eoo,
Hanc nunc cunctipotens huc in mea regna remisit. »

Nec mora, mensam pede percutiens exsiliensque domo, equum jubet adduci et duodecim viros legit virtute probatos, quibuscum fugientem Waltharium persequatur. Frustra Hagano antiquæ fidei atque consuetudinis memor, nec ignarus virtutis Waltharii, regem ab incepto avertere conabatur.

Waltharius interea ad saltum devenerat, qui Vosagus vocabatur; hic erant duo montes inter quos angustus specus exstabat, vertice saxorum superatus.

Dum in hoc oppido, deposito armorum pondere, juvenis fessa membra somno levabat, vigilans vero puella omnia caute circumspiciebat, Guntharius vestigia in pulvere secutus, cum caterva appropinquabat. Expergefactus a virgine surgit Waltharius, et ad pugnam se accingit.

Frustra Hagano, ubi sodalem ante specum stantem conspexit, iterum atque iterum regem monuit ut talem virum armis lacessere desisteret. Cæca cupiditate raptus Guntha-

rius unum ex viris misit qui a Walthario non solum duo scrinia sed etiam equum et ipsam puellam exigeret. Nequicquam juvenis partem thesauri, primo centum deinde ducentas armillas promittit. « Omnia dabis, aut morieris ! » clamat Gamelo (quod erat nomen viri) et simul hastam crispans in heroem conjicit.

Incipit tunc pugna acerrima, singulis Guntharii sodalibus hostem aggredientibus ; contra singulos autem ille stat immotus, nunc caute ictus evitans, nunc firma manu fundens vulnera ; debellatis autem singulis collum secat. Quin imo neque pluribus heros impar est, cum desperantes illi sese viritim eum esse superaturos, gregatim, et quidem ignavo stratagemate invadunt. Clipeo orbatus, sola framea et tunica confisus, leonis instar, hinc illinc Waltharius ictus iterat hostesque prosternit.

Postremo ceteris viris occisis, unus superstes ex strage rex Guntharius equum scandit et ad Haganonem volat, qui, contumeliosis quibusdam verbis regis offensus, nec quidquam inimice in Waltharium, sodalem suum, agere volens, ante pugnam in propinquum collem discesserat, unde eminus omne certamen conspexerat. Diutius illum incassis precibus rex flagitat, obsecratus ut secum rursus certamen adversus hostem ineat ; donec dedecore Francorum et dolore ob mortem nepotis victus (erat enim ille inter sodales a Walthario debellatos et occisos) domino opem pollicetur, quamvis, ut ait, uterque in non dubium periculum ruant.

At cum angustiæ loci maximo adjumento hosti essent, præcipit Hagano regi ut locum deserant, Waltharium nempe, ipsos abiisse ratum, tutis castris sponte egressurum esse. Ergo recedunt, et dum equi herbas depascuntur, locum insidiis idoneum circumspiciunt.

Interea nox venerat. Waltharius, tanto labore fractus,

præmunita undique semita spinis et paliuris, sese cum puella in specum recepit, ubi clipeo recumbens, primam partem noctis, dum virgo custodiam facit, somnum carpit; alteram vero partem ipse duxit vigilia, hasta arrecta fultus.

Prima luce, spoliatis hostium cadaveribus et oneratis præda quatuor qui superstites erant equis, sponsam quinto imposuit, ipse conscendit sextum. Tunc e castro progreditur, omnia cautissime oculis explorans, arrectis auribus ventos captans. Cum cuncta silere videt, iter aggreditur.

Sed postquam mille fere passus transcenderant, puella respiciens videt duos equites de colle raptim descendentes. Waltharius ilico virgini lora « Leonis » aurum gestantis tradit et eam jubet citius luco succedere.

Eminus rex Waltharium superbis verbis compellat; ille autem, nullo regi reddito responso, ad Haganonem conversus, obsecrat eum per ludos pueriles, per fidem promissam, ut a bello desistere velit, umbonem rutilo metallo se impleturum esse pollicitus; Hagano contra iratus incusat Waltharium quod prius vim intulerit; aurum se flocci facere profitetur, in certamen vero venisse ad pœnas propter cædem nepotis sumendas.

Nec mora, dejectis tribus viris de equis, instauratur prælium atrox, in quo post diversas vices Gunthario Waltharius vehementi ictu crus cum poplite adusque femur decerpit; ipsi vero Walthario Hagano dextram incautius exsertam recidit. Heros autem, dolore superato, incolumi sinistra destringit semispatham et Haganoni dextrum oculum effodit, atque etiam tempore resecato pariterque revulso labello, bis ternos molares ab ore discussit.

Sic prælii finis fuit :

Sic, sic armillas partiti sunt Avarenses.

Interea advocata a Walthario Hiltgund vulnera ligavit, et sitientibus poculum vini porrexit. Sed cum, sponsi jussu, Haganoni primo poculum offerret, ille recusans :

« Defer, ait, prius Alpharidi sponso ac seniori,
Virgo, tuo, quoniam, fateor, me fortior ille est.
Non solum mihi sed cunctis supereminet armis. »

Mox prioris amicitiæ memoria rediit in mentem juvenum, et qui paulo antea rabidi alter in alterum concurrerant, iidem nunc scurrili certamine inter pocula ludunt : in Waltharii mancum brachium jocatur Hagano ; quem contra coclitem et dentibus orbatum ridet Aquitanus. His dictis, « pactum cruentum renovant ». Deinde, rege in equum sublato, Franci Wormatiam, patriam Aquitanus repetit : ubi, magno honore susceptus, et Hiltgunde uxore ducta, omnibus carus, post mortem patris triginta annos populum feliciter rexit.

CAPUT II

QUÆ SIT FABULÆ WALTHARIANÆ ORIGO, QUÆ CUM CETERIS GERMANICIS FABELLIS COGNATIO [1].

Inter antiquissimas germanici cycli videtur adscribenda de Walthario fabula ; atque medio ævo res a Walthario gestas omnibus et cantoribus et auditoribus æque ac Siegfriedi et Theodorici facinora notas et ubique vulgatas fuisse, nonnullis testimoniis constat.

Walther von der Vogelweide quum, nomini alludens quod cum heroe nostro ipsi commune erat, amicam suam ficto nomine Hiltgund appellat, utpote quæ divina quadam arte vulnera cordis sui sanare posset, haud dubium est, quin omnes quid sibi vellet, satis intelligerent [2].

In poemate *Biterolf* inscripto, versus 577, 578

> Der was von Hiunen her bekomen
> Als ir wol habt ê vernomen

et in ipso carmine nostro vv. 1451, 1452 :

> Qualia bella dehinc vel quantos sæpe triumphos
> Ceperit, ecce stilus renuit signare retusus,

---

1. Hanc quæstionem postquam primus Grimm cum solita solertia tractavit, et San-Marte in libro suo *Walther von Aquitanien* novis dilucidavit exemplis.

2. Mînes herzen tiefiu wunde
Diu muoz iemer offen stên, sin werde heil von Hiltegunde (Ed. Lachmann, p. 74).

Cf. San-Marte, p. 13, 14. — Uhland, *Schriften zur Gesch. d. d. Sage und Dichtung*, p. 17.

certissimo argumento sunt nonnullis quondam rhapsodiis Waltharium celebratum fuisse. Atque hujusmodi carminum brevissima quidem sed pretiosissima fragmenta ad nos pervenerunt duo, quorum unum ad anglosaxonicum quoddam [1], alterum ad germanicum poema [2] XIII s. scriptum pertinet.

Rhapsodiarum vero illarum complures formas et species exstitisse jam ex hoc concludere potes, quod in carmine nostro singulorum heroum nominibus (sodalium nempe Guntharii) cognomina quædam adjiciuntur, quibus ab aliis poetis designatos fuisse noster refert [3].

Neque diutius fabulæ illæ Waltharianæ a ceteris germanici cycli fabulis secretæ manserunt; sed mox (hoc enim modo informari solent mythicæ fabulæ) cum diversis aliis ita conjunctæ fuerunt ut in unum coalescerent corpus.

Sic in carmine *Nibelungen* dicto Waltharii et Hiltgundis si non ipsis personis, nominibus saltem sæpius occurrimus; frequenter quoque mentio fit de utriusque et Haganonis exilio in aula Attilæ.

---

1. *Two leaves of King Waldere's Lay, a hitherto unknown oldenglish epic of the eighth century, belonging to the sagacyclus King Theodric and his men. — Now first published from the originals of the* 9th *century by George Stephens, Esq. Cheapinghaven and London* 1860. 8°. — Folia in quibus hæc fragmenta exarata sunt primus prof. Werlauff, Kjoebenhavniensis bibliothecæ custos, invenit; in catalogo numeris 167b 4° signata sunt.

Cf. Müllenhoff, *Haupt's Zeitschrift* XII, 264-279. — Max Rieger, *Alt und angelsächsisches Lesebuch,* Vorrede, p. XVIII-XXII. — Chr. W. M. Grein: *Beowulf nebst den Fragmenten Finnsburg und Valdere.* Cassel et Göttingen, 1867. — Sophus Bugge, *Spredte iagttagelser vedkommende de oldengelskedigte om Beówulf og Waldere, in « Tidskrift for Philologi og Paedagogik* VIII, 72-78, 305-307 ». Excuderunt et in germanicam linguam transtulerunt hæc fragmenta J. V. Scheffel et A. Holder, *Walthar̈ius,* p. 170 et seq.

2. *Fragment eines mittel-hochdeutschen Gedichtes, mitgetheilt von Th. Gr. v. Karajan : « der Schatzgräber für ältere deutsche Literatur. »* Leipzig, Otto Wigand, 1842. (Cf. *Frühlingsgabe für Freunde älterer Literatur.* Wien, 1839.) San-Marte, *Beilage* IV, eadem fragmenta denuo edidit.

3. Filius ipsius Kuno cognomine fratris
Quem referunt quidam Scaramundum nomine dictum (vv. 687, 688).
Nonus Eleuter erat Helmnod cognomine dictus (v. 1008).

Str. 1694, Attila de fuga Waltharii et Hiltgundis loquens, dicit :

> Hagen sand ich wieder heim : Walther mit Hiltegunde entran

(cujus versus prior pars præsertim notanda, ubi Hagano non aufugisse e Pannonia, sed ab Attila ultro dimissus fuisse dicitur).

Str. 1734, 1735, 1736 laudatur duorum sodalium virtus et quæquæ, quo tempore apud Attilam degebant, præclare gesserant[1].

Neque certaminis illius in Vosago acti ignarum est *Nibelungen* carmen ; nempe str. 2281 Hildebrant Haganoni exprobrat quod, dum commilitones cum Walthario pugnarent, ipse ignavus « in scuto sedens » certaminis non particeps fuisset, quod cum poemate nostro omnino consentaneum[2].

Dum in *Nibelungen* Waltharianæ fabulæ tantummodo alluditur, in *Biterolf et Dietlaib* persona ipsa herois inducitur.

Ut rem paucis verbis expediam, postquam Biterolfo in regione Parisiensi (Kerlingen, Carolingia) obvius fuit, Waltharius cum eo singulare certamen suscepisse dicitur ; intermisso autem prælio, quum in adversario Biterolf filium sororis agnovisset (hujus fabulæ cum Hildebrandiana quæ sit cognatio vix opus est ut indicemus), narratur duos heroas, pace composita, amicum in sermonem ingressos fuisse, in quo Waltharius Biterolfo refert quidquid sibi evenerit dum apud Attilam commoraretur, qui essent mores « paganorum »[3],

1. Cf. *Waltharius*, vv. 173 et seq.

2. Nu wer was, der ûfem schilde vor dem Wasgensteine saz,
Dô im von Spanje Walther sô vil der mâge sluoc ?

Cf. *Waltharius*, vv. 617, 640.

3. Der hayden site. *Biterolf*, v. 708.

quam sibi adhibuerint Attila et Helche sedulitatem, quantaque liberalitate semetipsum et Hildegundam retinere studuerint[1], postremo quanto cum labore apud Rhenum solus ipse hostium impetum sustinuerit[2]. Qua in narratione nihil est, ut vides, quod fabulæ nostræ non congruat, et quodam modo e carmine nostro excerptum videatur. Porro in eodem poemate quum Attila bellum cum Gunthario gereret, Waltharium eumdem Wormatiæ, auctore Haganone, auxiliandi causa arcessitum reperimus, necnon et Hildegundam comitem; quæ quum a Rudigero, hunnico legato, multa de rebus hunnicis et de regina Helche perquirit, tum etiam, revocata in memoriam fuga illa cum Walthario, jocatur in ebrietatem Hunnorum inter epulas, ad celandam fugam a Walthario pridie appositas[3].

Ergo non prætereundum est Waltharium hac in fabula socium apparere Francorum, qualem infra in altero poemate mox videbimus. Notanda quoque vox *Kerlingen*, unde nomen illud « Walther von Kerlingen » quod herois nostri, in carminibus *Dietrichs Flucht, Alpharts Tod, Rosengarten*, et in appendice libri dicti *Heroum* (*Heldenbuch*) proprium et peculiare est. In ipso *Biterolfo*, quanquam cognomen illud « von Kerlingen » non adjicitur, trium regnorum, Carolingiæ, Arragoniæ et Navarræ princeps esse refertur[4]; unde non semel rex Hispaniæ vocatur (« Kunig von Spânilant », quo vocabulo etiam in *Nibelungen* designari solet « Spânje Walther[5] »).

Atque tertius quoque titulus illi interdum adscribitur:

---

1. Cf. *Waltharius*, v. 703 sq.
2. *Biterolf*, vv. 575 sq., — 616 sq., — 703 sq., — 755 sq.
3. Vv. 4797 sq., 6275 sq., 6891 sq., 7646 sq., 12632 sq.
4. Cf. Grimm, *Waltharius*, p. 103, et *Deutsche Heldensage*, p. 95.
5. Cf. *Nibelungen*, str. 1694 et 2281, et *Biterolf*, vv. 576, 615, 3045, 5086, 6223, 6854, 7649, 10399, 12650.

« von Lengez Walther », vel « Walther der Lengesaere »[1], qui sine dubio ab urbe « Langres » ducendus est, cujus pater nostri, Alpker, princeps fuisse narratur in illo supra dicto fragmento germanico[2], de quo nunc plura.

Ibi enim potes per rimas mutilati textus deprehendere quasi continuationem fabellæ nostræ, et explicationem quamdam argumenti ejus quod in fine poematis nostri continetur :

. . . . . patriamque Aquitanus adivit.
Illic gratifice magno susceptus honore
Publica Hiltgundi fecit sponsalia rite (vv. 1446-48).

In fragmento enim illo Waltharium et sponsam per Vosagum iter facientes, neque Aquitaniam quidem, sed urbem Lingonum, Alpkeri regiam, petentes videmus, comitante, quod sane notandum est, Volkero, uno ex viris Guntharii : unde jure concludi potest non hostes sed socios esse Guntharium et Waltharium, ut quidem in *Biterolfo*. Hoc saltem constat, neque alterum crure, neque alterum manu orbatum esse ; imo forsan ex strophis 12, 13, conjicere licet recenter Waltharium contra insequentes Hunnos pugnasse : quod certe cum ipso fabulæ tenore magis congruat, quin etiam in alio quodam carmine, in *Vilkinasaga,* reipsa evenit.

Nam in illa *Vilkinasaga* (cap. 84-87)[3] Waltharius (Valtari af Vaskasteini) ab avunculo Ermanrico cum duodecim equitibus, in obsidum vicem, ad regiam Attilæ, Susat vocatam et in Westphalia sitam, mittitur. Duobus post annis, cum eodem Hildegund, filia Iliadis, regis Græcorum, venisset, mutuo incensi amore, pueri aufugiunt, ablatis nonnullis thesauris e regali ærario, cui custodiendo, ut in nostro poemate, puella

1. *Schlacht von Raben,* str. 47.
2. *Fragment eines mhd. Gedichtes* (San-Marte, *Beilage IV*).
3. Cf. San-Marte, *Beilage III,* p. 179.

fuisse præposita videtur. Quos ad persequendos duodecim heroas mittit Attila, inter quos juvenem quemdam Högni vocatum[1]. Undecim jam interfectis, Högni aufugiens in silva se condit, unde mox exsiliens nec opinantem hostem occupet. Interea Waltharius lassus sauciusque, accenso igni, dorsum aprinum torret, quod cum Hildegunda totum edit. Hic Högni ex insidiis erumpens, stricto gladio hostem perfodere parat; Waltharius contra, Hildegundæ clamore monitus, arreptum os aprinum tam vehementi impetu contra prementem hostem torquet, ut oculum ei effodiat.

Inprimis animadvertere pretium est nomen Högni, quod in aliis quoque fabellis infra nobis occurret; neque omittendum Högni hujus (sive Haganonis) et Waltharii adeo nullam esse societatem, ut contra Högni inter fideles Attilæ viros numeretur. De Gunthario vero et Francis nulla mentio. Quod superest, singulis in rebus fabula hæc nostræ non dissimillima, præsertim in vigilia illa Waltharii et Hildegundæ post pugnam. Neque mentione indignum os illud aprinum quo Högni læditur, eique poeta noster latinus alludere videtur, quum Waltharium jocose dicentem inducit: « ..... Carnem vitabis aprinam » (v. 1435), cujus joci quis sit sensus per se ipsum non satis apparet, neque certum est num auctor ipse quid sibi vellet satis intellexerit[2].

In sequentibus capitibus Waltharium in regia Ermanrici avunculi cernimus, neque locus sit de his quæ hic gessit, quum ad fabulam nostram nequaquam pertineant, plura

1. Cf. infra fabulam ex *Snorra-Edda* exhibitam.

2. Vv. 623 sq. narrat Hagano regem sibi « nocte urso colluctarier visum fuisse, qui, postquam illi crus omne decerpserit, ipsi in auxilium subeunti oculum cum dentibus eruerit ». *Ursum* vero falso irrepsisse in latinum poema suspicatur Müller (*Zeitschrift für d. Phil.*, p. 169) pro *apro*, quum uterque in germanica lingua una et eadem fere voce dicatur (ahd. *pĕro*, mhd *bĕr*, engl. *bear* = *ursus*, ahd *pêr*, mhd *bêr*, engl. *boar* = *aper*).

verba faciendi, nisi in hac altera parte novum quemdam Waltharium deprehendamus, a nostro diversum, imo pæne ignavum, qui in certaminibus interj uvenes in regia celebratis plerumque se superari patiatur.

Ex hac bicipite, ut ita dicam, persona Waltharii in eodem libro præbita plane apparet ex duobus vel pluribus fontibus librum ipsum confluxisse (neque reipsa *Vilkinasaga* quidquam aliud est nisi compilatio diversarum fabularum).

Hujus modi mixtura in unum videntur concrevisse Waltharium Waltharii illæ duæ personæ quæ eminent in *Chronico Novaliciensi*[1], una nostri herois, altera monachi cujusdam ejusdem nominis.

Porro paucis ea comprehendamus quæ in hoc libro leguntur.

Cap. VII, auctor, postquam retulit « in monasterio prisco habuisse tempore monachum quemdam olitorem nomine Waltharius (*sic*) nobili ortum stegmate, ac regali procreatum sanguine », sic pergit : « Hic post multa prælia et bella, quæ viriliter in sæculo gesserat, cum jam prope corpus ejus senio conficeretur, recordatus pondera suorum delictorum », in Novaliciense cœnobium, utpote in quo « districtior norma custodiretur », assumpto habitu monachali, sese recepit, et sponte protinus cultor horti effectus est.

Cap. VIII et IX scriptor, jam ad nostrum carmen progressus (a « metricanoro quodam » ut ait, compositum), rerum ordinem a v. 93 ad v. 574 sequitur, atque ita quidem narratio habetur, ut mox ipsius verba poetæ referantur, mox in breviorem pedestremque sermonem contrahantur[2]. Neque ta-

1. Cf. San-Marte, *Beilage V.*

2. Similiter in codice Bibl. reg. 921 Hagæ a Pertz, *Mon. Germ.*, III, 708-710 edito (qui fragmentum carminis Carolum Magnum celebrantis continet) versus latini, verborum ordine nescio qua causa inverso, in pedestrem sermonem a librario soluti sunt.

men satis liquet cur a v. 574, id est ab ineunte prælio, brevius expositio corripiatur; at in fine præsertim notatione digna est narratio, ubi plura a nostro poemate abhorrent:

« Qui (Guntharius nempe Haganoque) diu multumque invicem pugnantes ac præ nimia lassitudine et siti deficientes, jam non valebant virorum fortissimum superare. Et ecce respicientes viderunt a sagma Waltharii vasculum vini dependere... »

Hic quanquam subito rima quadam libri narratio dissolvatur, facile perspici potest exitum pugnæ minus cruentum fuisse quam in carmine nostro, præliumque (ut dicitur v. 1424) « scurrili certamine inter pocula » sodales clausisse, antequam se invicem obtruncaverint. Hæc vero mutatio finis non dubium est quin scriptori novaliciensi debeatur, quum ante oculos nostrum neque aliud poema haberet. Lætiore enim exitu egebat, quum in sequenti serie rerum Waltharius, monachus factus, multa præclare gerat, quæ facere nequibat, si mancus a priore certamine exstitisset.

Hic ergo (hæc enim est materia cap. X-XIII), dum in cœnobio vitam degebat, sæpius antiquæ virtutis memor, neque semel olitoria pala relicta, plura facinora peregit, sive vim cœnobio illatam depelleret, sive injurias acceptas ulcisceretur. Olim, cum a debellatis hostibus reverteretur, fertur, « quasi læto animo ex victoria columnam marmoream juxta viam positam ex pugione tam violenter percussisse, ut maximam partem dejiceret in terram; unde usque in hodiernum ibi dicitur diem, Percussio vel Ferita Waltharii. »

In hoc Walthario monacho « athletam » ergo aliquem habemus (hac enim voce ipse scriptor utitur) simillimum celebratis illis duobus monachis, quorum unus in nostris litteris « Jehan des Entomeurs », in Germanicis vero alter « Ilsau » vocatur.

Interea « vir magnanimus atque inclytus comes obiit plenus dierum » et in sepulcro conditus est quod ipse vivens « in summitate cujusdan rupis exciderat » ; atque in eodem sepulcro postea sepultus est nepos ejus, nomine Rathaldus. « Hic filius fuit filii Waltharii nomine Ratheris, quem peperit Hildegund » ; defuncti vero reliquiæ, quasi beati alicujus et sancti viri, nonnulla miracula effecerunt.

Quum ita commixta fuisset utraque fabula, uno et altero (ut Flacci verbis utar) assuto panno, Waltharii persona, ut vides, ex hunnico ævo in Longobardorum tempus translata est. Neque illud mirum, quum in Longobardorum historiis non rari reperiantur heroes, qui post majorem partem vitæ in præliis actam in monasterium sese recipiunt, inter quos Berker citari potest et Rother (cujus nomen non absimile est nomini Ratheris) et præsertim Wolfdietrich, qui, teste « libro heroum » (*Heldenbuch*), non secus ac Waltharius cœnobii in quod sese receperat tutor et defensor fuisse dicitur. Quin imo, in *Lege Rotharis* (circa 669 scripta), de Walthario quodam, octavo rege Longobardorum, Wachonis et Sigelendæ filio, sermo habetur, quem et Paulo Diacono notum fuisse constat [1].

Nec tamen in ullo alio carmine vel chronico tantas mutationes passa est fabula nostra, nec tam alienigenis rebus aucta, quam in *Chronico Poloniæ* ab episcopo Boguphalo composito [2].

Comes Wdaly Walgerzs (id est Waltharius fortis) cujus castellum in loco Tyniez [3] vocato, prope Carrodunum situm

1. Cf. San-Marte, p. 47 sq.

2. *Boguphali, II Episcopi Poznaniensis Chronicon Poloniæ,* ap. Sommersberg, *Silesiacarum rerum Scriptores,* Lipsiæ, 1730, t. II, p. 37-39. — Cf. San-Marte, *Beilage VI,* et San-Marte, *Die polnische Königssage,* Berlin, 1848. — Cf. Procosii *Chronicon slavo-sarmaticum.* Vars. 1827, p. 109, 129. — Cf. Grimm, p. 114.

3. Sive Tyneg, Tyniec.

est, dum adhuc juvenis diutius in curia regis Francorum degebat, filiæ hujus, pulcherrimæ Helgundæ amore arsit. Sed quum antea puella in filium cujusdam Almaniæ regis, qui in eadem curia vivebat, « amoris affectum convertisset », Waltharius secreto gratiam virginis capescere statuit. Ergo nocte, corrupto vigile, « mœnia ascendens castri, ante cubiculum Helgundæ tam dulci melodia perstrepuit et tam dulci voce cantavit, ut filia regis a somno excitata et de lecto saliens, nutui dulcissimo intenta maneret... Cum duabus noctibus sequentibus Walterus similia caute peregisset, Helgunda vigilem percuntata et, cognito amantis nomine, in ejus amorem fervide ardescens ad ejus vota se totaliter inclinavit, filium Almaniæ regis respuendo. » Quod cum sensit Almanus, ira efferus, relicta regia in patriam redivit, et hic omnes portus fluminis Rheni observari jubet.

Nihilominus Walterus et Helgund fugientes e Francia, flumen equo transnatant; quos quum opposita ripa exspectaret princeps Almanus, prælium initur, in quo alter ab altero vincitur, victus vero conspectu amatæ puellæ novas vires acquirit. Postremo tamen triumphat Walterus et, necato hoste, castrum suum in Polonia situm comitante sponsa petit.

In his quæ retulimus polonica fabula a nostro poemate non omnino discrepat, nisi quod, inverso itinere, ab occidente ad orientem amantes aufugiunt; cantans vero Walterus ante cubiculum Helgundæ Horantum in *Gudrun* in memoriam revocat. In fine vero polonicæ historiæ, fabulæ nostræ extranea quædam assuitur fabula, quam, cum diutius dubitaretur unde hausta esset, nuper Liebrecht demonstravit ex India originem ducere[1].

Walterus enim, in patriam reversus, incepto bello contra

1. Benfey, *Orient und Occident*, I, 125.

principem quemdam, debellatum in turri castelli includit. Hunc captivum, Wislai nomine, cum esset « formæ elegantissimæ et corpore venustus », Helgunda, dum Walterus ad nova bella gerenda profectus erat, e turri educi jussit, cumque eo liberato aufugit. Quin imo perfidia ejus effectum est ut Walterus in Wislai manus incideret; postea vinculis alligatus esse refertur in ipso cœnaculo, ubi rivalis « cum Helgunda æstivo tempore infra meridiem delectationes venereas exercebat », et sic spectaculo flagitiosissimi amoris excruciatus fuisse. Postremo soror Wislai, quæ captivo a fratre custos præposita erat, misericordia nec non amore infelicis mota, fractis vinculis Walterum liberat. Qui « ense vibrato utrosque per medium scidit ».

Attamen jam pauca verba facienda de fragmento illo anglo-saxonici poematis de quo sermo fuit supra. Constat illud ex duobus foliis, quorum utraque pagella 16 circiter versus continet; in priore folio Hiltgund inducitur Waltharium hortans ut ensi suæ « Welandiæ fabricæ » confidens, et assuetæ virtutis memor, contra Guntharium congrediatur; in altero primo Guntharium loquentem habes et quidem gladium suum laudantem; quem respondens Waltharius ad committendum prælium lacessit. Hæc fragmenta quanquam sunt brevissima, facile est videre nihil esse in illis quod non cum nostri *Walthari* argumento consentiat. Ex pluribus enim indiciis elucet sermones ab heroibus in illo momento actionis pronuntiari, quo, necatis ceteris sodalibus Guntharii, jam ipsi, auxiliante Haganone, supremum certamen contra Waltharium suscipiendum est. Ceterum singuli loci certissime indicant arctiorem cognationem esse his fragmentis cum poemate nostro : inter quos vv. 6 et 11 prioris folii quibus Hiltgund Waltharium « Atlan ordvyga », id est « Attilæ regni columna » (cf. *Walth.*, v. 126) et « Alfheres sunu » (Alpharides)

compellat, atque vv. 25 ad finem, ubi eadem Guntharium incusat quod prior neque ullo jure Walthario vim intulerit, denique quod (ut in nostro quidem poemate) scrinia armillis plena, oblata ad conciliandam pacem abnuerit. Neque secus ac in carmine nostro Waltharius et Hiltgund christianæ religionis præceptis imbuti sunt; altera enim amanti (vv. 19 sq.) exprobrat quod sæpius, virtute arreptus, temeriusque periculis sese offerens, Deum tentaverit; alter vero, hostem alloquens, Deo sese confidere dicit, qui, summus juris arbiter, justam victoriam dispenset (fol. 2, vv. 25 sq.).

Quas diversas fabulæ nostræ species si inter se comparaveris, et si removeris quidquid singulis alienigeni additum est, argumentum quoddam omnibus commune expromere poteris, nempe puellam ab amante raptam et raptorem cum urgentibus hostibus pugnantem.

Neque hoc quemquam fugit quanta sit fabulæ nostræ cognatio et quasi consanguinitas cum ceteris germanicis fabulis, quæ in heroico ævo aguntur, inprimis cum carmine *Nibelungen,* quocum non solum personarum quædam nomina communia habet (ut sunt Haganonis, Gunthariі, « Francorum Nebulonum », Attilæ regis et uxoris Helchæ, hæc quidem in carmine Ospirin vocatur[1]), sed cujus fabula in iisdem pæne locis, nempe ad flumen Rhenum et in Wormatica regione agitur.

Illud autem constat, fabulam Nibelungensem, quanquam in historicis rebus versari videtur, re ipsa mythico quodam fonte effluxisse, et heroas, humaniorem quidem gerentes personam, divinam originem ducere. Quid si e nostro quoque poemate talem mythi nucleum expromere liceret ?

---

1. Quomodo Grimm Ospirin nomen explicare tentaverit, vide *Waltharius,* p. 119. Cf. *Ospirn die Herben und Hagano* in *Altd. Wälder,* II, 42-45.

Quod quidem ad Waltharii personam spectat, prorsus confitendum est rariora esse in eo indicia cœlestis naturæ, neque ullam ejus mentionem fieri in sacris septentrionalibus carminibus, nisi fortasse nomen ejus cum deo Wali, Odini filio, qui Hödr interficit, conferre, vel in nomine parentis Alpheri stirpem illam Alforum, nempe deorum quorum in aere imperium situm est, agnoscere placuerit. Non tamen infitiandum est ejusdem virtuti et fortitudini nescio quid inesse quo ipse semideis illis Siegfriedo et Achilli simillimus fiat[1].

Hiltgund vero non dubium est quin Valkyriæ alicujus imaginem, quanquam obscuriorem, præbeat. Inter Valkyrias enim de quibus in *Edda* sermo est, duæ præsertim dignæ sunt quibus attendas: Hildr et Gunnar dico, quarum nomina (*pugnam, prœlium,* significantia) si conjunxeris, Hildgund habueris.

In *Snorra-Edda*[2] narratur, regi cuidam nomine Högni filiam fuisse Hilldr vocatam. Quæ, cum a juvene quodam, Hedin, rapta fuisset, fugientes cum viris suis Högni insequitur et occupat[3]; cruento certamine inito, ultro citroque nonnulli necantur; quos in saxa mutatos nocte Hilldr cantibus suis ad vitam revocat, ita ut prima luce prælium denuo instauretur; neque hujus prælii antea finem fore, addit fabula,

1. Notandum est, in carmine nostro nusquam Walthario epithetum illud « manu fortis » adjici, quo utitur Ekkehardus IV in Casibus (*Mon. Germ.,* 118). Plerumque « heros » appellatur, cui voci adjectivum aliquod nomen jungitur, ut « celeberrimus, laudabilis, maximus, fortissimus, magnanimus, cautissimus » ; aut « vir magnanimus, fortis, celer » ; aut « juvenis fortissimus ». In solis versibus 1383 sq., ad manum illius alluditur :

. . . . recidebat dextera fortis
Gentibus ac populis multis suspecta tyrannis.

2. *Die Edda, übersetzt und erläutert v. K. Simrock.* Stuttg. Tüb. Cotta, 1851, p. 313.

3. Cf. supra, p. 11, fabulam ex *Vilkinasaga* exhibitam, in qua pariter raptorem insequens hostis Högni vocatur.

quam advenerit dies illa suprema Ragnarökr vocata, id est judicium deorum [1].

Similiter in nostro latino carmine Hiltgundem post prælium pro capite Waltharii vigilantem videmus, et « dormitantes ocellos cantu patefacientem » (v. 1181). Etsi vero ipsa mortuos non ad vitam revocat, imaginem tamen quamdam habes obscuriorem resurrectionis illius in persona Waltharii truncis hostium capita applicantis et Dominum precantis, ut :

Hos in cœlesti præstet sibi sede videri (v. 1158).

Eadem narratur historia apud Saxonem Grammaticum [2], nec tamen immutatis rebus; ultro enim Höginus Hithino filiam despondet; amborum vero inimicitia ex eo nascitur quod Hithinus arguitur ante nuptias sponsæ pudicitiam eripuisse. Neque id parvi momenti est : virginitas enim prima lex erat Valkyriis sicut vestalibus : quapropter in latino carmine laudatur Waltharius, quod a puella abstinuit.

In *Vilkinasaga* imo (cap. 209-218) [3] Herbort, raptor puellæ, jam non arguitur ex sponsa uxorem fecisse, sed fecisse ipse se gloriatur, quod scelus insequentes hostes ei acerbissimis conviciis exprobrant [4]. Hic Herbort legatus est regis Thidreki, puella autem filia regis Arthuris, ita ut non solum fabula jam novo cyclo rerum gestarum immixta appareat, sed etiam persona Hildæ ad humanam naturam propius accedere videatur, qualem habes quoque in poemate de Gudrun, et in diversis aliis recentioris ævi fabellis [5].

1. « Todeskampf der Hiadninge. » Cf. San-Marte, p. 23, 1.
2. *Hist. Dan.*, p. 89.
3. *Nordische Heldenromane,* von v. d. Hagen. Breslau, 1814. II, p. 164-189.
4. Cf. *ibid.*, I, 1-27, ubi altera quædam non absimilis fabula narratur.
5. Cf. San-Marte, *Gudrun, Nordseesage.* Berlin, 1839.

Sed ad nostrum propositum illæ potissimum pertinent fabulæ in quibus diviniorem quamdam speciem puella præbet. Quas inter fortasse nulla antiquior quam fabula illa de Hilda quadam, uxore gigantis Grimi atque eadem custode ingentium thesaurorum (qua in re jure cum Hiltgunde nostra conjungi potest ærario regali præposita). Quibus thesauris quum Theodoricus et Hildebrandus vi potiri vellent, acriter cum eis Hilda colluctatur ; bis secta in duas partes gladio Theodorici, bis in unum sese recolligit, quod fortasse non est absque omni similitudine cum resurrectione illa mortuorum in *Snorra-Edda,* atque applicatione capitum et truncorum in nostro libro [1].

In hisce omnibus fabellis puellæ nomen Hilda est ; in *Samunder Edda* [2] vero ipsum Hildigunna nomen apparet, quod est Valkyriæ cujusdam, filiæ Swawæ et Sigmundi. Parentum vero nomina eo minus negligenda quod his natalibus Hildigunna ab eadem stirpe originem ducere indicatur, qua Siegfried, id est a genere Wölsungen quibus Niflungen genus omni tempore inimicum. Hac autem inimicitia neminem fugit perenne odium luminis et tenebrarum figurari. Neque semel laudatur in carmine nostro acies oculorum puellæ [3] ; pariter in *Nibelungen* acerrimo visu eminet Siegfried.

Num postremo necesse est Brunhildæ mentionem facere, non illius humanioris quidem quæ est in *Nibelungen,* sed Valkyriæ de qua in *Edda* non semel sermo fit ? Cum ea enim nostra non solum nomen sed quædam animi lineamenta habet communia.

---

1. *Vilkinasaga,* cap. 16, l. c., p. 47 sq.

2. *Hyndlalied,* Simrock, p. 106, 122, 125, 127. Cf. *Sinfiötlis Ende,* p. 146, et *Volsunga Sage,* cap. 6-21, v. d. Hagen, vol. IV, ubi de Sigmundi obitu agitur.

3. Nam procul hinc acies potis es transmittere puras (v. 509).
Et procul aspiciens Hiltgunt de vertice montis (v. 532).

De ceteris nostri carminis heroibus qui divinam originem ducere videntur, parcius fortasse disserendum, quum sint omnibus noti non solum per carmen *Nibelungen,* sed etiam per ea quæ multa de hoc carmine doctissimi viri disseruerunt. Neminem enim fugit sodales illos Guntharium et Haganonem jam in *Edda* reperiri, ubi Gunnar et Högni appellantur, sedem vero in Niflungensi regno habuisse, unde «Franci Nebulones» illud quo Waltharius illos designat[1]. Atque illud quoque pernotum, in *Edda* Gunnar et Högni non solum sodales (ut in *Walthario* nostro et in *Nibelungen*), sed fratres esse, patrem vero utriusque Giuki, cujus nomen in Gibichonem mutatum. Ipse quidem Giuki deus fuit quidam, Græcorum Hermæ non dissimilis, de quo quædam in nonnullis regionibus superstites fabulæ plane testantur[2], et cujus persona postea cum rege nescio quo burgundione, Gifica vocato[3], in unam conjuncta est, dum e filio Gunnare vera Gundicarii regis persona facta est, qui ab Attila cum gente sua omnino destructus fuisse refertur[4]. Cujus generis mutationum in fabulis omnium temporum et regionum permulta exempla præstant, nec fortasse proposito nostro alienum videtur, in memoriam revocare Atli illius frequentius

---

1. V. 555. Hic est in germanicis literis primus locus, in quo hæc appellatio apparet. Sic etiam (v. 965) « *Wielandia fabrica* » notissimo fabro alludit. Cf. *King Waldere's Lay,* f. 1, v. 2 : « *Vêlandes gevorc* ».

2. Cf. J. Grimm, *Mythol.,* p. 126, et *Haupt's Zeitschrift,* I, 422, 573.

3. Ab hoc Gifica *Lex Burgundionum* omnem gentem Burgundionum originem ducere refert.

4. Quidquid de Gundicario, rege Burgundionum, referunt et Prosper Aquitanus et Cassiodorus et Paulus Diaconus, collectum habes ap. W. Grimm, *Deutsche Heldensage,* p. 70. Cf. San-Marte, p. 34. Cf. Koberstein (Bartsch), *Geschichte der deutschen Nationalliteratur,* 1872, p. 45. « Schon früher, wohl noch im fünften Jahrhundert, muss es Lieder gegeben haben, deren Inhalt sich auf ein geschichtliches Ereignis bezog, auf den Untergang des burgundischen Königs Gundicarius mit den Seinigen durch den Hunnenkönig Attila (436). Mit dieser burgundischen Sage verschmolz späterhin die fränkisch gewordene Siegfriedssage und die fränkischen Nibelunge fielen nun mit den burgundischen Königen zusammen. »

in *Edda* celebrata facinora, propter similitudinem nominum ad Attilam Hunnorum regem translata fuisse.

Quod quidem ad Haganonis nostri personam pertinet, digna est de qua plura addamus. Multa enim sunt in illa, quanquam jam humaniore efficta, quæ, sive sciente sive insciente poeta, divinam, aut, ut rectius dicam, infernam originem produnt. V. 1421 « Hagano spinosus » vocatur; vv. 1351-52, Waltharius illum his verbis increpat:

O paliure virens foliis, ut pungere possis,
Tu saltando jocans astu me ludere temptas!

Quibus autem verbis quis non videt non solum notam hominis perfidiam, sed ipsius nominis *Hagan* (quod idem valet quod *spina*, *rhamnus*, *paliurus*) significationem exprimi? Atque ultro quidem recurrit in memoriam antiquissimus ille mythus, ad naturam rerum pertinens, in quo cæcus Hiemis deus deum Veris visci, vel potius rusci ramo transfixisse fertur; cujus non dubiam imaginem repræsentat fabula de Haganone Siegfriedum interficiente. Quin imo cum ipso deo Odin cognationis aliquid Hagano, aut, ut rectius dicam, antiquior ille Högni videtur habere, quum non semel (ut in *Volsungasaga*) spina armatus, qua si quis pungitur, obdormiscit, Odin appareat (et quod fortasse non negligendum) cocles; ipse enim Hagano, ut vidimus, a Walthario in pugna altero oculo privatur[1].

Haganonis pater, cujus nomen v. 629, in accusativa quidem forma refertur (Hagathien), fortasse idem est qui divus ille Ages de quo Mone, vel Acazi ille de quo Lachmann am-

1. Cf. *Vilkinasaga,* cap, 87, 150, 165, 348. Lachmann, *Kritik der Nibelungen,* p. 345. J. Grimm, *Mythologie,* p. 147; et *Ospirn die Herben und Hagano,* l. c.

plius disseruerunt[1]. Eumdem recentioris ævi carmina Aldriân, Adriân vocant.

Inter ceteras personas quarum sive nomen, sive persona, divinæ originis vestigia indicare videtur, et uxor Attilæ digna est de qua mentionem moveamus : quæ quidem dum in ceteris fabulis et historiis Herche, Herkia et Helche appellatur, in nostro poemate vocatur Ospirin. Hæc appellatio divina ursa significans (*ans*=deus, *bero*=ursus) non dubium est quin (ut Grimm suspicatus est) argutiore quadam interpretatione ab ipso nomine Helche derivata sit, quod quidem sonat idem atque Ἑλίκη; hac autem voce apud Græcos ursæ majoris constellationem designatam fuisse neminem fugit[2].

His quæ diximus satis fortasse probatum est, qua propinquitate fabella de Walthario cum mythis illis, præsertim in septentrionali parte Germaniæ natis, conjuncta sit. Ea autem est lex informandarum fabularum, ut e cœlo in terram translatæ, historicis rebus immisceantur. Sic e Gunnare et Giuki, divis illis, Wormaticos reges exortos ; sic in poemate nostro actionem rerum, ut in Nibelungensi carmine quoque factum est, omnino in Attilæ seculo locatam fuisse vidimus.

In *Walthario* Attilæ regnum *Pannonia* vocatur (sæpius pl. *Pannoniæ*) ; ipse populus *Huni* aut *Avares*[3], unde adject. *pannonicus, avarensis; hunicus* autem nusquam reperitur.

---

1. Cf. Mone, *Deutsche Heldensage*. Quedlinburg, 1836, p. 136-150. — Lachchmann, *Critik der Sage der Nibelungen*, p. 457. — Grimm, *Waltharius*, p. 118 sq., et *Mythologie*, p. 147.

2. Cf. Grimm, *Mythologie*, p. 633 ; *Walth.*, p. 119 ; *Ospirn die Herben und Hagano*, l. c., et San-Marte, p. 49 sq.

3. Inter quas gens Pannoniæ residere probatur,
Quam tamen et Hunos plerumque vocare solemus (vv. 4, 5).

Cf. Paulum Diaconum I, 26 ; Fredegarium, *Chron.*, 48 et 72 ; Postea et « Hungrorum » nomen illis tributum est, deductum quidem a germanica voce *hunger* « a fame quam patiebantur Hungri vocati sunt ». *Epist. Remigii*, apud Martène, *Collect.*, I, 234.

Hoc etiam præsertim notandum, Hunnos non jam ut in ceteris medii ævi poematibus, barbarorum quorumdam atque ferorum gigantum, sed cultioris gentis speciem præ se ferre; Attilam vero, dum alias « Dei flagellum » vocatur, in nostro carmine clementis principis personam præbere, qui legatos « blande suscipit », « fœdera plus cupiens quam prælia mittere, et pace quam armis regnare[1] ».

Cum tribus aliis gentibus Hunni conflictantur : Francis, Wormatiæ locatis; Burgundionibus, Cavilloni; tertio Aquitanis. Ergo dum in priore carminis *Nibelungen* parte, reges Wormatici « Burgundiones », in altera « Nibelungen », in *Klage* vero et in *Biterolf* simul et « Burgundiones » et « Franci » et « Rhenani Franci » vocantur[2], conjuncta nescio quo errore nomina conjunctosque populos poeta noster recte distinguit.

Quænam autem gens « Aquitanorum » nomine designetur, satis indicatum habes in germanicis scriptoribus octavi et noni sæculi, qui Aquitaniam « Wascônolant » (id est Wasconiam, Guascogniam, Gascogne) appellant[3]; Vascones autem iidem erant quos nunc « Basques » nominamus. Quum vero illam regionem sæpius Gothi occupaverint, nec semel in latinis scriptoribus Aquitanorum nomen illis tribuatur, non temere conjicias et poetam nostrum Aquitanorum nomine Gothos designare voluisse; « Aquitanus » autem illud, quod sæpius pro Walthario ponitur, in germanico poemate, quod imitandum latinus noster sibi proposuit, sine dubio « Wascon » sonabat[4].

1. V. 65-71.

2. *Klage*, ed. Lachmann, vv. 144, 153; Biterolf, vv. 5,965, 9,729, 9,533, 12,123.

3. *Gl. Vessobr.* 74, Graff I, 1,082. In *Nibelungen* et *Biterolf* nomen illud « Wascônolant » prorsus in « Spâne, Spânijelant », imo in « Kerlingen » mutatur.

4. Cf. Grimm, *Walth.*, p. 120.

Cui vero voci « Wascon », quantum sit similitudinis cum nomine « Walther af Waskenstein » in oculos incurrit. Quid ergo si « Wascon » illud et Aquitania patria nihil nisi error esset ex confusione et sonorum et locorum natus? Alphere enim in ceteris germanicis carminibus (ut supra dictum) non jam in Aquitania sedebat, sed in Francico oppido « Lingonum » cui est nostris diebus nomen « Langres »[1].

Ceterum ipsa actio rerum in Francia, id est in sinistra Rheni ripa, versatur; heroes plerique Franci. Namque non solum Guntharii regis sedes Wormatiæ posita est, sed sodalium alius, Camelo, « metensi urbi » præfectus est, alius Argentorati natus, alius Spiræ; adde quod formæ finesque nominum quæ singulis sodalibus tribuuntur francicam speciem haud dubie præbent, ut Scaramundi, v. 688, quod cum Pharamundi nomine, primi Francorum regis, jure contuleris; sic etiam in Tanasti nomine eumdem finem habes, qui reperitur in nonnullis nominibus apud Fredegarium enumeratis et francos legislatores designantibus, ut Windevast, Wisogast, Arbogast, Salegast[2].

Neque illud a Francorum historia alienum quod Hagano a trojana stirpe ortus dicitur[3], quum illo tempore quo scrip-

---

1. Hic est fortasse locus ubi de v. 765 mentio fiat, qui cum in omnibus libris sic habetur :

> Celtica lingua probat te ex illa gente creatum,
> Cui natura dedit reliquas ludendo præire.

a Peipero, timeo equidem ne temerius, ita refictus est : *probat me ex illa gente;* unde fit ut Waltharius se ipsum de celtica stirpe ortum profiteatur. Si contra cum omnibus *te* legeris, convertetur eadem compellatio a Walthario ad Ekeurid qui paulo supra a Saxonicis oris generatus dicitur. Dubitationem afferebat Peipero manifeste « celtica lingua » Saxoni applicatum. Neque tamen hoc mirum est : Celtarum enim nomen quum arctiori intellectu Gallis tribui solet, re vera omnibus et mediæ et occidentalis Europæ prioribus incolis commune erat, inter quos et Saxones, qui, teste Ptolemæo, in cimbrica Chersoneso sedes habebant.

2. Cf. San-Marte, p. 40.

3. Indolis egregiæ veniens de germine Trojæ (v. 28).

sit noster, et jam antea, in austrasianis scriptoribus magna auctoritas opinioni accessisset, Francorum gentem a Troja originem ducere[1]. Similiter v. 725 Ewurhardus (alias Werinhardus) « longa stirpe nepotum » a Pandaro generatus esse fertur, virgiliano illo heroe, de quo in *Æneide,* V, 496, 497, fit mentio.

Certamen vero ipsum in Vosago monte committitur, qui, quum a nostro poeta utpote « lustra ferarum plurima habens et suetus canibus resonare tubisque », tum frequentius a scriptoribus francis propter ferarum copiam laudatur, qua de causa regibus francis ante omnes dilectus erat. In qua autem parte Vosagi prælium commissum fuerit, infra accuratius perpendetur.

Neque ad constituendam originem fabulæ nostræ minori adjumento sunt mores heroum; atque hujusce modi exemplorum undique tam immensa quidem vis occurrit, ut qui est in antiquiorum sæculorum rebus exquirendis curiosior, in nostro carmine inexhaustum fere fontem documentorum reperiat[2].

Heroes nostri Francorum more pugnandi utuntur, ut versibus 918, 919 indicatur:

> Venit et ancipitem vibravit in ora bipennem[3];
> Istius ergo modi Francis tunc arma fuere.

---

1. In sepulcro Rodthaid, filiæ Pipini, hi versus inscripti sunt:

> Ast abavus Anchise potens, qui ducit ab illo
> Trojano Anchisa longo post tempore nomen.

Pertz, *Mon. Germ. hist.,* II, 265. *Pauli Warnefridi Gesta Episc. Mettensium ;* et ibid. : « Nam gens Francorum, sicut a veteribus est traditum, a Trojana prosapia trahit exordium. »

2. Cf. Grimm, *Waltharius,* 72 sq. — San-Marte, p. 131 sq.

3. Apud. Sid. Apollinarem « secures nussiles » ; de iisdem mentionem facit Gregorius Turonensis. Hujus generis armorum imagines habes apud Daniel, *Hist. de la milice française,* Paris, 1721, t. I, p. 4, fig. 2. Cf. San-Marte, p. 149.

V. 983 Guntharii sodales tridente utuntur, id est angone, quod genus armorum Agathias describit, Sidonius vero Apollinaris lanceas uncatas vocat. V. 1390, de « semispatha » sermo est « qua dextrum latus Waltharius cinxerat », quo nomine gladius aliquis minor designabatur[1]. Vv. 333 sq. totum vestitum armaque Waltharii; 695, 771, 825, 900, 919, 970, Guntharii sodalium morem pugnandi amplius descripta habes.

Waltharius, Haganonem a pugna deducere tentans, pollicetur se « rutilo umbonem metallo completurum esse[2] »; pariter Chriemhild ad incitandos sodales ad pugnam contra Burgundiones, scuta rutilo auro plena afferri jubet: « Hiez golt daz rôte in den schilden tragen[3] ». Eadem enim « auri sacra fame » qua Nibelungensis carminis heroes, qua jam dii ipsi in antiquissimis germanicis mythis esuriunt, torquentur heroes nostri; possidendi auri causa prælium committitur; et quum auctor « avaritiam » et « famem habendi » perversum quoddam numen appellat, non tam virgilianæ illius imprecationis memor est, quod quis credat, quam germanicæ fabulæ de Goldwala, dira illa dea, quæ homines in lupos mutat, et possessionem thesaurorum æterna exsecratione prosequitur[4].

Germanicis quoque moribus consentaneus est heroum amor in arma sua, et quæ ante pugnam de eorum meritis honorifice prædicant[5]. Imo arma, ut jam Ammianus Marcellus refert, « pro numinibus colunt »; Waltharius « nudum ensem retinens », Deum precatur[6].

1. Cf. Vegetium, II, 15 (San-Marte, 157).

2. V. 1263.

3. *Nibel.*, str. 2188, 2. Cf. Scheffel et Holder, p. 115 sq. — Uhland, *Schriften zur Gesch. d. d. Sage und Dichtung*, I, 1865, p. 430. — San-Marte, p. 131 sq.

4. Cf. *Edda*, ed. Simrock, p. 157.

5. Vv. 806-809.

6. V. 1160.

Neque illud fortasse parvi momenti est, quod prælian-tes, antequam manus conserunt, inter se minis sive ludibriis lacessunt, qua in re carmen nostrum antiquissimo illi fragmento simillimum est, quod ad nos pervenit de certamine Hildebrandi cum filio, nec non prædicto illi fragmento anglo-saxonico, in quo nihil jam superest nisi sermones pugnantium. Præterea v. 686 sq. Kuno avunculum a Walthario occisum ulcisci tentat. Pariter Hagano 1272 sq. sese necati nepotis vindictam quæsiturum profitetur. Apud Germanos enim, ut ait Tacitus, « sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honos; quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur [1] ».

Waltharium et Hiltgundem, etiam tum infantes, a patribus sponsos vidimus, atque eosdem in obsidum vicem Attilæ datos, quod cum jure illius temporis consentaneum est [2]. V. 136 Attila Waltharium nuptam sibi e Pannoniis puellis eligere jubet, polliceturque se illum « donis amplificaturum esse » [3]. V. 268 Waltharius Hiltgundem « quater binum sibi cothurnum » de more facere jubet, non quidem in faciendo itinere pedibus applicandum, sed quia mos erat Hunnis calceos gemmis et auro adornandi [4], et sic calcei pars auferendi thesauri erant. Epulæ a Walthario Hunnis appositæ (v. 288 sq.), inter quas Attila comitesque vino sepulti fuerunt, conferendæ sunt cum narratione Prisci qui se ab Attila ad cœnam invitatum fuisse refert. Vv. 405 sq. ab Attila dicti :

---

1. *Germ.* 20. Cf. *Walth.*, vv. 701, 926, 951-954, 1263.

2. Cf. Grimm, *Rechtsalterthümer*, 455, 461, et omnino de dandis obsidibus Tacitum, *Germ.*, 8, et *Hist.*, IV, 79.

3. Cf. Grimm, *Rechtsalt.*, 436.

4. Cf. Priscus, ap. Niebuhr, *Corpus script. hist. byzant.*, I, 203 sq. — Cf. San-Marte, p. 134 sq.

Hunc ego mox auro vestirem sæpe recocto
Et tellure quidem stantem hinc inde onerarem
Atque viam penitus clausissem, vivo, talentis,

vetustissimo alicui mori alludunt vel sufferendæ mulctæ, vel tribuendæ remunerationis. Sic Fredegarius refert Alaricum, Wisigothorum regem, a Theodorico hac pœna affectum fuisse ut equitem, arrectam lanceam tenentem, totum usque ad mucronem aureis nummis operiret.

Inter quæ occurrunt exempla, complura ad barbariem illorum temporum pertinent. Heroes enim nostri, quanquam non jam in illa inconcinna feritate versantur, quæ in *Edda* aut in *Gudrun* aut in *Atli carminibus* reperitur, urbanioribus tamen illis munditiis, quæ duodecimi sæculi equitibus sunt peculiares, omnino carent. In præliando crudelissimi ; victis nulla venia : Waltharius devictis hostibus, arrepta cæsarie, caput abscidit, vel prostratos ad humum affligit, vel strangulat[1], corpora mortuorum armis spoliat[2].

Neque desunt loci ubi certissima paganæ superstitionis vestigia reperias. V. 763, Ekevrid Waltharium « fauno cuidam saltibus assueto » comparat ; faunorum vero nomen, vel silvanorum, vel satyrorum a christianis presbyteris tribuebatur antiquis Germanorum numinibus, quæ quondam in silvis coli solita erant[3]. V. 1040 manes moriturum rident ; quod vocabulum « manes » non prave per germanicum « unholde » expressum est (cf. v. 850). V. 794 « venenatas sagittas », San-Marte ut Ovidii « virgam venenatam », maleficiis fascinatas

1. Vv. 718, 750, 917, 939, 981. Pariter Strabo refert Gallos solitos fuisse inimicorum cruenta capita sellæ suspendere. Cf. *Snorra-Edda,* 2.

2. Vv. 1191 sq.

3. Cf. Tacitum, *Germ.,* 9 ; Grimm, *Mythol.,* 60 sq., 447 sq. Cf. etiam quæ dicuntur de cultu falsorum deorum in saltu Vosago, Scheffel u. Holder, p. 161 sq. et Becker, *der Schauplatz des Walthariliedes,* p. 264 sq.

esse censet; pariter idem æsculum illam, cui v. 1001 Waltharius comparatur, et

Quæ non plus petit astra comis ouam Tartara fibris

aliquid cum mythica illa arbore commune habere arbitratur, cui in sacris fabulis septentrionalibus Yggdrasils nomen est[1]. V. 1443 pactum quod sodales « renovant » non ideo « cruentum » vocari censet, quia uterque saucius e pugna egressus est, sed re vera ita se rem habere. In Scandinavia illos qui fœdus sancire volebant, longiorem tractum cespitis avulsum ita sublevare solitos fuisse ut utrimque terræ adhæreret, media vero pars lancea supposita sustineretur; sub hoc ita compositum tectum ingressum utrumque sive manum sive plantam ad vivum resecare, ita ut manans cruor in unum rivum humi misceretur. Tunc invocatis diis, jurare utrumque sese alterius mortem ulturum esse[2].

Quæ quidem exempla potius ad Germanicorum numinum cultum pertinent; in aliis autem locis heroes nostri ita christiana disciplina imbuti apparent, ut dilucide perspicere possis eos, præsertim Waltharium, et rationem vivendi et sermones regulæ Benedicti conformare (unde, si quidem alia firmiora argumenta deessent, jam nunc concludere possis auctorem nostrum monachum fuisse). Sic, ut unum vel alterum exemplum modo afferam, monita cap. VII de castitate secutus, heros noster a puella abstinet; sic vv. 564 sq. postquam adspectis hostibus gloriatus est neminem invictum rediturum, repente superbiæ eum pœnitet,

Necdum sermonem complevit humotenus ecce
Corruit et veniam petiit, quia talia dixit.

---

1. Cf. *Edda*, p. 251.
2. Cf. San-Marte, p. 155.

Quæ quidem humilitas cum cap. 4, n° 34, consentanea est. Secundum cap. 4, n° 70, monachus orare debet pro inimicis; quod Waltharius facit 1165 sq., Deum flagitans ut occisos hostes in æternam vitam recipiat[1]. Atque hoc quoque monachalem sermonem redolet, quod Hiltgund Walthario dicit:

Nullius ulterius patiar consortia carnis.

Post hanc ampliorem timeo enumerationem exemplorum, vix jam necessarium est ut de errore disputemus in quem Fauriel incidit[2], qui fabulam nostram pro gallica et auctorem pro gallico quodam habuit. Australium enim regionum, ut ait Léon Gautier[3], nimio amore arreptus, hoc sibi præsertim auctorem *Waltharii* proposuisse censuit ut, quum ipse esset Aquitanus, ostenderet, quanto Aquitani Francis præstarent. Sic etiam J. J. Ampère (*Histoire littéraire de la France,* II) : « Le *Waltharius* est la revanche poétique prise par les populations méridionales contre les Francs. » In similem errorem lapsus Ch. d'Héricault, *Essai sur l'origine de l'épopée française,* etc., de poemate nostro dicit : « C'est le frère latin de notre *Chanson de gestes*[4]. » Primus, inter nostros scriptores, Léon Gautier (l. c., I, 104) monstravit Waltharii fabulam germanicam esse ; cui sententiæ et Gaston Paris accedit[5]. « *Waltharius* est certainement

1. Cf. Geyder, *Haupt's Zeitschrift,* IX, 150 sq.— V. 225 Waltharius poculum ab Hiltgunde porrectum « signans accipit » ; id est : vinum crucis signo sacrat. At et pagani signo quodam benedictionis utebantur, « signo mallei, Hammerzeichen ». Cf. San-Marte, p. 134.

2. *Hist. de la poésie provençale,* I, 269.

3. « Il a trop aimé le Midi. » (*Les Épopées françaises,* p. 4.)

4. Quem dissertationem recensuit Paul Meyer, *Bibliothèque de l'École des Chartes,* 5, II, 84-89.

5. *Histoire poétique de Charlemagne,* p. 51.

traduit de l'allemand, et sans doute d'un de ces poèmes mêmes appartenant au cycle des *Nibelungen* qu'avait fait rassembler Charlemagne. »

Neque unicum nobis in *Walthario* exemplum præbetur poematis e vulgari sermone in latinos versus translati. In eodem libro, quo *Waltharium*, edidit Grimm duo alia carmina *Ruodlieb* et *Ecbasin*, quæ, ut ipse demonstravit, antea germanica lingua scripta fuerant. Pertzius (*Mon. Germ.*, III, 708-710) fragmentum latini cujusdam carminis excudi jussit, bella Caroli contra Saracenos celebrantis, et sine dubio e cantilena quadam vulgari translati; auctorem poematis *De traditione Guenonis* carmen « Chanson de Roland » inscriptum imitatum esse Michel [1] apertissime ostendit; atque, ut jam recentioris ævi exemplum, e germanicis quidem litteris collectum, afferamus, Lachmann de fragmento latini *Willehalmi*, e germanico *Willehalmo* Wolframi von Eschenbach translato verba facit [2].

1. *La Chanson de Roland*, p. 228 sq.
2. Cf. éd., p. XLII sq. Cf. G. Paris, *l. c.*, p. 50.

CAPUT III

QUO LOCO WALTHARIUS CUM HOSTIBUS PUGNAVERIT.

Postremo, quum ad finem hujus prioris partis pervenimus, de loco disserendum ubi Waltharius contra Guntharii sodales pugnasse dicitur. Neque enim hæc quæstio a quæstione de fabulæ origine aliena est, quum, ut supra diximus, hic locus novo argumento sit fabulam nostram omnino in germanicis rebus versari. Quia vero de hac re a compluribus commentatoribus aptissime disputatum est, quæcumque apud hos notanda reperimus brevius complecti liceat, adjectis quibusdam quæ, ad hunc locum bis itinere facto, ipsi exploravimus[1].

Hic locus a poeta v. 490 « saltus » nominatur jam tum Vosagus vocitatus. Quod autem nomen quum longiori jugo montium tribuatur, diutius dubitatum est quem locum in hoc jugo situm poeta designare voluerit. Grimm illum in summo culmine Vosagi, Alsatiam a Lotharingia dividente, inter Molsheim et cœnobium Senonense, nempe in « Monte Fracto » (Framont) quæsivit[2]. Fallebat Grimmium testimonium quoddam Mabillonis[3]; hic enim auctor est in hoc culmine ruinas aliquas superesse, quæ ad « castrum » de quo in poemate nostro sermo est, pertinere videbantur; fallebant

---

1. Cf. Uhland, *Elsässisches Samstagsblatt,* XI, n° 29, 21 Juli 1866, p. 116. Scheffel u. Holder, p. 158 sq. et Aug. Becker, *Der Schauplatz des Walthariliedes* (Westermanns Monatshefte, Mai, Juni, 1885); Scherer, *Der Wasgenstein in der Sage* (*Mittheilungen des Vogesenclub,* n° 2).

2. Grimm, *Waltharius,* p. 124-126.

3. *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres,* II, 686 (1717). Dom Calmet, I, 270.

etiam antiquissimæ omnis generis fabulæ, quæ, quanquam cum nostra fabella nihil conjuncti habent, locum illum ex omni memoria germanicis incolis sacrum celebratumque fuisse testantur; fallebat postremo nomen ipsum Vosagi : hoc vero illo tempore non ut nostra ætate omni jugo montium quos « les Vosges » appellamus, tribuebatur, sed minori parti, et illi quidem quæ prope Tabernas finem habet. Cujus rei certissimum testimonium præbet Tabula Peutingeriana[1].

In hac vero parte, nempe in inferiore parte Alsatiæ, non procul ab itinere quod a Wissemburgo Bicinam ducit, propius pago Niedersteinbach, vetustissimum quoddam castellum situm habes, cujus nomen non aliud est quam illud quod non semel in fabulis carminibusque Walthario adjicitur, scilicet « Wasgenstein »[2].

Ad hunc locum quem primus Uhland a. 1857 invenit, et postea inspexit atque accuratissime descripsit Aug. Becker, ipsi nuper, ut diximus, iter fecimus. Apud poetam vero loci descriptio sic habetur vv. 493-497 :

Sunt in secessu bini montesque propinqui,
Inter quos licet angustum specus exstat amœnum,
Non tellure cava factum sed vertice rupum.

Et re ipsa fauces hic reperias angustiores : rupes, exiguo

1. Schöpflin, *Alsat. illustr.*, I, 149 (*Tabula Peutingeriana*, sgm. II). — Cf. San-Marte, p. 42 sq., et Scheffel u. Holder, p. 158 sq.

2. *Nibel.*, str. 2403. Hohenems-Lassberg cod. « Waschenstein » ; Sangall. cod. « Waskenstein » (item *Vilkinasaga*); Hohenems-Münchener cod. « Wasgenstein ». Cæterum in illa regione alterum castellum reperitur « Wasenburg » appellatum, cujus nomen cum nomine nostri fortasse conjunctionem quamdam habet ; quod argumento esset (ut supra quidem diximus), Vosagi nomen huic inferiori tractui montium proprium fuisse. « Der Name Vosagus, in den *Weissenburger Traditionen* Wosago, später Uosecus, Wasagus, Wasego, verwandelte sich in das deutsche Wasigen, Wassichen und vom Bergzug auf den ganzen Bezirk übertragen, Wasgau. » Scheffel u. Holder, p. 58.

intervallo disjunctæ, immensæ dirutæque portæ speciem offerunt[1]. Specus autem, ut verum loquar, nusquam apparet, nisi in superioribus saxorum partibus quæ, natura excavatæ, priorum hominum, Celtarum fortasse industria, in domicilia mutatæ sunt : hujus vero modi conclavia in castellis in Vosago sitis sæpius reperiuntur (Winstein, Hoh-Barr, etc.); neque incredibile est eas speluncas, ut ait noster, « latronibus aptas stationes » fuisse. Postea in utroque saxo castella exstructa fuerunt, quorum ruinas etiam nunc pendentes videre est, quorumque habitatores singulis illis specubus tanquam cubiculis quibusdam utebantur.

Attamen de his excelsioribus speluncis manifesto poeta loqui non poterat. Timeo ergo ne hoc minus adverterint commentatores, speciem locorum, qualis nostris diebus exstat, non eamdem esse posse quæ fuit abhinc mille annos. Hodie enim ad rupes illas nonnisi abrupta semita aditur atque præcipiti colle, qui manifesto labe et saxorum et prorutorum mœnium exaggeratus est. Sub hoc ergo tumulo suspicor specum nostrum quærendum esse, atque in ea quidem altitudine situm, ut inde simul eminus appropinquantes hostes puella videre potuerit, neque tamen equitibus et invadentibus hostibus non esset aditus.

Superest alia quædam quæstiuncula de qua, quum ceteros commentatores fugerit, pauciora verba facienda sunt. In tribus illis versibus quibus specus describitur, lectionem attulimus plerisque libris communem :

Non tellure cava factum sed vertice rupum.

Attamen duo libri C T pro *rupum* habent *ruptum*. Quid si hæc lectio verior esset? Neque minimam affert illi auctori-

1. V. 561. Hac coram porta.

tatem, non solum concentus leoninus : *factum: ruptum,* sed etiam ipsius loci aspectus, quum vertice rupum non jam tanquam conjuncto tecto specus concludatur, sed re vera saxorum mœnia dirupta inter se distent.

Sed hæc res levioris fortasse momenti videbitur, quum cetera indicia, quæ ad situm et ad naturam loci pertinent, dubitationem omnem tollant : sunt vero hæc, ut diximus, præter ipsum nomen « Wasgenstein », ambo saxa, et fauces quæ inter illa exstant, et callis quo ab oriente ad fauces est aditus, atque ille ita angustus, ut nonnisi viritim contra Waltharium pugnare hostes potuerint. Nihil ergo est in loco quod non poetæ verbis congruat, atque aptissima sunt huic loco nomina quibus utitur noster : « statio » (vv. 496, 559, 572), « angulus » (v. 497), « propugnacula muri » (v. 813), « castrum arctum » (v. 1118), « latebræ » (v. 1230).

Præter naturam et nomen loci, plura ad historiam hujus castelli (aut, ut rectius dicam) horum castellorum pertinentia testimonia indicant Waltharii et præclari illius certaminis memoriam in hominum mente vixisse. Etenim equitum a Wasichenstein, qui medio ævo hoc castellum tenebant, altera familia leonem, altera sex abscisas manus, pro insignibus habebant, quod, nisi forte fallitur Becker, ad « Leonem », equum Waltharii, et abscisam dextram herois referendum est.

Ceterum hunc locum non ignotum quemdam apud Francos neque absconditum angulum fuisse, sed potius frequentatissimum, imo religione sacrum monstravit idem Aug. Becker in illa dissertatione de qua supra dictum est, quod quidem nonnullis locis nostri carminis congruit, præsertim illi quo de faunis in Vosago habitantibus mentio fit[1].

1. Vv. 763, 769.

Quod est de altera parte pugnæ, quæ a Walthario contra solos Haganonem et Guntharium conserta est, et hujus locum certioribus testimoniis indicare posse sibi visus est Becker[1]. Nam Waltharius ab oriente veniens in patriam (sive Lingonensem regionem, sive Aquitaniam) redibat. Ergo illi per Vosagum transverse iter faciendum; id est per viam quæ nostris diebus a pago Steinbach Bicinam, præter ruinas cœnobii Stürzelbronn, ducit. Est autem non procul ab hoc cœnobio, in regione, quæ proprio nomine « Wasichenfirst » (culmen Vosagi) vocatur, pagus quidam cui usque ad hanc diem « Herzogshand », gallice « La main du Prince », nomen est; ceterum in rupe quadam, propter viam, manum excisam adhuc videre est. Quæ vero sit significatio hujus nominis atque hujus manus, vel saltem quæ illis ab incolis tribuatur, e fabula discere potueris quam inter se narrant de fratribus quibusdam duobus, principibus a Schœneck et Wineck, quorum alter alteri, postquam de virgine quadam vindicanda pugna orta fuit, dextram abscidit. Cui fabellæ cum nostra, ut vides, tanta similitudo est, ut vix dubium esse possit, quin ambæ unius et ejusdem diversas species præbeant.

1. L. c., p. 315.

PARS ALTERA

CAPUT I.

DE POEMATIS SERMONE.

In iis quæ antecedunt paginis naturam et originem fabulæ, indolem et mores heroum indagavimus. In iis quæ sequuntur, de ipso carmine, de latino sermone et de re metrica qua auctor usus sit, postremo de ipso auctore disserendum.

Atque hæc vestigia scrutantibus ultro occurrunt nova testimonia de origine carminis. Ingens enim est copia locorum, in quibus si latinum quasi corticem scalpseris, germanicum dicendi modum invenias.

Quarum et locutionum et vocum quæ prorsus ex germanica lingua translatæ sunt, quum Grimm et Geyder plura attulerint exempla, sicut: v. 427, *laudabilis heros, der lobeliche recke;* v. 658, *damna tuli, schaden bringen;* v. 470, *quia talia vixi, solches erleben;* v. 402, *vix erupit cras, der Morgen brach an;* v. 857, *fames insatiatus,* masc. generis (quia in germanico *der Hunger* masculinum [1]); v. 1257, *obliviscier egit, er machte vergessen* [2], liceat nobis pauca addere: v. 1113, *corrumpere fidem, den Eid brechen* (cf. v. 1259, *abradere fidem* et v. 1267, *abscindere fidem*); v. 584, *anterior*

---

1. Nisi forte *insatiatus* ad *vortex* trahendum.

2. Grimm, *Waltharius,* p. 68 sq. Geyder, *Haupt's Zeitschrift,* IX, 153.

dies, den Tag zuvor ; v. 784, *confidere in ensem, auf sein Schwert vertrauen;* v. 1042, *Fors tibi victoriam de me... contulit; den Sieg über mich* (*davontragen*) ; v. 1441, *lardata pulta,* qui cibus Germanis et recentioribus temporibus ante omnes in deliciis est, ut frequentius illud apud H. Sachs *feiste suppe, feiste klostersuppe,* indicare videtur ; v. 1273, *pretiosus* (*theuer=lieb*) ; v. 1275, *tui facies, das gesicht dein ;* v. 115, *de rebus fecit et actis, mit Werk und That ;* v. 742, *ridenti pectore, aus vollem Halse lachen ;* v. 1312, *supplere causam, die Sache vollbringen ;* v. 39, *congesta frui, die Schätze geniessen ;* v. 95, *pectore læto, mit frohem Herzen ;* v. 207, *super occisos ruit, er stürzte über die Erschlagenen her ;* v. 330, *plena gazæ* (gén.), *voll goldes.*

Alia exempla magis ad sermonem inferioris ætatis pertinent, qui tum longe lateque per omnes regiones perfusus erat, ut sunt *caballus* et *eques* frequentius pro *equus ;* v. 16, *mas* (*filius*) ; v. 1144, *multra* (*lac*) ; v. 147, *sergia* (*officia*) ; sæpius *causa* pro *res ;* neque semel *senior* pro *dominus, princeps* (57, 154), etc. ; v. 20, *plebs* (*populus*) ; v. 3, *sequestrare* (*distinguere*) ; v. 41, *suspendunt a* (*discedunt a*) ; v. 58, *similare* (*similem esse*). Hoc quoque ad inferiorem ætatem pertinet quod Ospirin et Waltharius Attilam allocuti, secunda persona pluralis utuntur ; v. 126, *uestri imperii ;* 130, *perpendite ;* 131, *dicite.* Cf. 146 sq.

Græcæ voces nonnullæ inveniuntur : in prologo, v. 22, *adelphus ; tyrannus* sæpius pro *princeps ;* v. 37, *scema* (*forma*) ; v. 104, *sophista* (*vir doctus*) ; v. 212, *stemma* (*corona florea*) ; v. 235, *per hyroniam ;* v. 245, *mysteria ;* v. 769, *phantasma ;* v. 1063, *phaleratus.*

Quas locutiones accuratissime excerptas collatasque habes apud Peiper, p. 116 (*Glossarium sermonem inferioris ætatis exhibens*).

Hoc quoque notatione dignum, auctorem, quum a novis verbis non abhorreat, tum obsoletis dicendi modis interdum indulgere. Sic vv. 578, 933, *homo, onis* ponit; in infinitivis, v. 10, *dominarier*; v. 85, *defendier*; v. 311, *imitarier*; v. 1191, *spoliarier* scribit; in pronomine *ille* antiquam formam *olli, ollis* (vv. 228, 1194) præfert. Adde vv. 1279 et 1353 *faxo*; 775 *mage*, etc., etc. In orthographia vero plerique libri antiquiorem scribendi rationem sequuntur; vv. 770, *attemptabo*; 1107, *dampno*; 123, *coniunx*; 1390, *incolomis*.

Et in re grammatica nescio quæ barbaries deprehenditur; v. 139, *quisquam pudebit*[1]; v. 218, *requirunt si bene res vergant* (*si* pro *num*[2]). Nulla certa lex est in usu temporum. Cum enim antiqua lingua Germanorum quæ nullos internosceret præteriti gradus, uno tantum uti soleret tempore, quod simul pro latino et perfecto et imperfecto, et pl. q. perfecto ponebatur, hæc singula tempora quid valeant nescius, noster frequenter erravit. Non semel pl. q. perfecto utitur pro perfecto :

> 625 *Crus cum poblite ad usque femur decerpserat omne.*
> 686 *At dum forte nepos conspexerat hoc Camelonis.*

Cf. vv. 75, 84, 85, 106, 111, 180, 219, 220, 310, 340. Alias pl. q. perf. ponitur pro imp.; v. 34,

> *Tempore quo validis steterat Burgundia sceptris.*

v. 52, perf. pro imperf. *Forte Cavilloni sedit Herericus.* Sæpissime in verbis inter se connexis dissona tempora sine

1. Quæ tamen locutio reperitur apud Plautum (*Cas.* V, 2, 3).

2. Cujus locutionis quanquam rariora tamen exempla aliquot reperire est apud meliores scriptores (Tit. Liv. 40, 49, 6 : *quæsivit si... liceret*; cf. Cic. de Inventione, 2, 29, 87 et 42, 122).

discrimine miscentur : v. 511, *Hæc ait atque concluserat;* v. 631, *Gesserat et fastidit;* v. 207, *Tum super occisos ruit et spoliaverat omnes ;* vv. 538-542, *vestiverat, collegit, transverberat, prolusit;* vv. 920-923, *obiecit, frustravit, rapiebat, demerserat.*

In infinitivo similis est confusio :

V. 969, *fuerat sumpsisse facultas;* v. 520, *pugnasse videres;* cf. vv. 295, 365, 520, 969, 986, 1065, 1107.

Pro infinitivo non semel *quod* adhibet :

v. 445 *Narrat quod nauta dedisset.*
vv. 80-81 *Jusjurandum. . . . .*
Inter se dederant, pueros quod consociarent[1].

Cf. vv. 133, 1058, 1245.

Imo v. 795, *quod* desideratur :

Numquid et iste putas astu vitabitur ictus,

quod plane germanicum.

Antiquior Germanorum sermo quum futuro careret, frequentius præsens hujus temporis partes implet; v. 15, *quam postea narro* (*narrabo*) ; vv. 1077, 1078, *si venero, diluo;* vv. 89 sq.,

Legatos mitto, fœdusque ferire iubebo,
Obsidis inque vicem dilectum porrigo natum.

Pariter in infinitivo ; vv. 59 sq.,

. . . . *Qua nos virtute putatis*
Huic conferre manum et patriam defendere dulcem

---

1. In vulgari sermone hic loquendi modus frequentior erat. Cf. Justinum, I, 7, 9 : *Cognito quod illatum Crœso bellum esset ;* De bello hisp. 36 : *renuntiaverunt quod....*

(*collaturos, defensuros esse*) ; v. 245, *Si nossem te inpendere... servare* (*inpensurum, servaturum*) ; cf. v. 169, *recedere* pro *recessurum*.

Quod in initio propositionis frequentius participium præsens subjecto adjungitur, ut in hisce exemplis : v. 515, *Exultansque animis sic fatur* ; v. 532, *Et procul aspiciens... sensit* ; v. 557, *Aspicit et noscens iniunxit talia ridens*, etc., etc., communis usus est illius temporis ; neque fortasse causa esset cur de hac re mentionem faceremus, nisi hic et illic participio præsenti vis quædam præteriti tribueretur ; v. 310,

Quam rex accipiens haustu uacuauerat uno

(*acceptam nappam* intelligendum) ; v. 228,

Waltharíusque bibens uacuum uas porrigit olli

(*postquam biberat*).

Pro cardinalibus numeris semper pæne distributivi ponuntur ; v. 265, *bina scrinia* ; 294, *duces binos* ; 493, *bini montes* ; 475, *duodenos* ; 277, *septenos orbes* ; 10, *millenos annos* ; 296, *centenos sodales*, etc.

CAPUT II.

DE RE METRICA. — DE ALLITERATIONIBUS ET ASSONANTIIS QUAS NOSTER IN COMPONENDIS VERSIBUS CAPTAVIT. — DE HOMŒOTELEUTO. — DE PROLATIONE QUARUMDAM LITTERARUM.

Si jam ad rem metricam convertemur, hoc præsertim in oculos incurrit, singulos versus in imitando Marone versari; tantum callebat noster sermonem virgilianum, ut non solum scribenti ultro sese et frequentius offerrent singulæ particulæ et quasi suturæ sicut : v. 124, *talia dicta ;* v. 142, *talia pandit;* v. 236, *talia reddit;* v. 821, *hæc ait et;* v. 841, *sic ait atque ;* v. 1168, *orandi finem dedit;* v. 32, *nec mora;* v. 48, *haud aliter;* et comparationes quasdam virgilianas sui juris faceret[1], sed nullus pæne versus inveniri possit, cujus Virgilius non hanc vel illam partem tanquam e suo fonte derivatam jure possit asserere. Imo nonnullos versus transcriptos habes ad verbum, quales sunt v. 326 :

Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit (*Æn.*, IV, 135) ;

vv. 728, 729:

Pandare, qui quondam jussus confundere fœdus
In medios telum torsisti primus Achivos. (*Æn.*, V, 496, 497.)

1. Cf. vv. 188 sq., 384 sq., 1000 sq., 1231 sq., 1337 sq.

In aliis altera tantum pars virgiliana est, ut in v. 1032:

.... *saxum circumspicit ingens.* (*Æn.*, XII, 896.)

Alios versus, mutatis quibusdam verbis, usurpavit, ut v. 304:

Postquam epulis absumpta quies mensæque remotæ

quum Virgilius in *Æneide,* semel, I, 216:

Postquam exempta fames epulis mensæque remotæ

et iterum, I, 723:

Postquam prima quies epulis mensæque remotæ.

Minus aperta quidem, neque tamen dubia est imitatio in v. 22, *Consensere omnes..,* Cf. *Conticuere omnes* (*Æn.*, II, 1); v. 197:

Obvia quæque metens armis ac limite pergens;

cf. cum virgilianis illis duobus:

Proxima quæque metit gladio latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro........ (*Æn.*, X, 513.)

Quod si tibi placuerit hanc comparationem poetæ nostri cum Virgilio penitus insectari, maximo auxilio erit Peiperi *Index locorum vergilianorum, additis paucis aliorum poetarum versibus* (p. 80).

Neque enim unius virgiliani sermonis fragmentis sermo-

nem suum composuit et quasi tessellavit; aliis locis Nasonem[1], aliis Flaccum imitatus deprehenditur; alii probant illum Tullii, Livii, Sallustii, et, inter scriptores inferioris ævi, Pauli Diaconi, Boetii, Corippi, Aratoris, postremo Vulgatæ lectioni maxime assuetum fuisse[2].

Sed sicut supra complura a veterum sermone abhorrentia notavimus, sic etiam in conformandis versibus, nonnulla invenias minus ad regulam quam ad licentiam veterum poetarum accommodata, quin etiam manifesto mendosa.

Sic deteriora exempla secutus, in gerundio *o* nonnisi brevi utitur: v. 47, *rutilando per agros;* v. 359, *recubando sequentis* (cf. vv. 169, 425, 766, etc., etc.); similiter, vv. 1367, 1443, correpto *o, iterato cruentam* scripsit; in nominibus *Patavrid* et *Ekevrid, a* et *e* ante *vr* breves effecit; quin imo *a* ante *squ,* in *fortia squamosus.*

Exempla in quibus contrahuntur litteræ *ei, ua, uæ,* in unam syllabam, v. 335, *aureis;* v. 1326, *genua;* v. 1342, *beluæ,* quanquam Maronis auctoritate valent (*Æn.*, VI, 276, *malesuada fames*), tamen frequentiora occurrunt[3].

In hoc quoque liberius sibi indulsisse videtur, quod brevis syllaba in cæsura sæpius longa fit: v. 1209, *Sexus enim fragilis animo;* v. 934, *Iam magis atque magis irarum* (cf. vv. 140, 667, 1050, 1397); aliquoties idem fit post tertium

---

1. V. 1:

Tertia pars orbis, fratres, Europa vocatur

ad Ovidiani hujus exemplar fictus videtur:

..... *agitur pars tertia mundi* (Metam., V, 372).

nisi forte Corripianum hunc sequitur:

Tertia pars mundi fumans perit Africa flammis (I, 47).

2. Cf. Peiper, p. XXXIV sq.

3. De prolatione litteræ *u* vide infra.

pedem : *Ignotus tibi Waltharius et maxima virtus.* Notandum tamen, litteram *a* in nominativo nunquam sic produci, quod in *Ruodlieb* et in *Ecbasi* sæpius occurrit. De hoc quod in quibusdam locis brevis syllaba producitur ante litteram *h* jam infra sermo faciendus.

Hic et illic versus invenire est cæsura carentes :

275 ***Audisti quid habere vianti forte necesse est.***
117 ***Guntharius successit et ilico Pannoniarum.***
597 ***Waltharius vocor ex Aquitanis sum generatus.***

Quod vero nonnullas voces a mensura detorsit, meræ negligentiæ tribuendum, nisi forte in his inferioris ævi usum secutus est. Sic temere mutatis syllabarum spatiis, v. 372, *hēri;* v. 522, *făcĭlē;* vv. 324, 560, *mŭlĭērem, mŭlĭērēs;* v. 1431, *ādĕŏ;* v. 766, *lūdendŏ præīrĕ* in fine versus; v. 1152, *spĕră* (sphæra) legitur.

In clausulis versuum sæpissime voces ponuntur quatuor pluresve syllabas complexæ, inde claudicatio quædam exstat, quia in hujusmodi verbis sonus alterius syllabæ dactyli, quanquam brevis est, vocis flexu variatur : Ex. v. 597, *sum generatus;* v. 694, *jam moriturus;* v. 865, *furtive potiuntur;* v. 887, *sermocinandum;* v. 337, *Pannoniarum;* v. 618, *concomitantes;* v. 644, *metropolitanus.* Cf. vv. 16, 25, 64, 57, 62, 97, 120, 121, 214, 221, 224, 225. Syllabarum enim spatia si mensus eris, sonabunt hæ voces *gĕnĕrātŭs, pŏtĭŭntŭr, cōncŏmĭtāntēs,* dum contra, si suis quasque vocales sonis enuntiaveris *génerátus, pótiúntur, cómitántes* habebis.

Alii contra exeunt versus in voces quasdam minoris ponderis ut sunt pronomina, quod meliores scriptores vitaverunt : v. 1030, *abstulit eius;* v. 1006, *caperetur ab ipsis;* v. 1058, *sis ultus eosdem;* v. 101, *artibus imbuit illos;* v. 1096, *in*

rebus sibi parceret istis; v. 251, *piget exilii me denique nostri;* v. 579, *remoratur ibidem;* v. 659, *spoliarier a te.* Sic quoque in clausulis versuum v. 347, *sed cum;* v. 498, *non vult;* v. 1159, *applicat atque.*

Verbis quibusdam quæ, quum minus necessaria videntur, ad complendum autem numerum versuum commodiora sunt, frequentissime utitur, ut sunt: *vulgo, forte, modo, forsan, quippe, denique,* etc. Ex. : v. 68, *Fœdera plus cupio quam prælia mittere vulgo* (cf. v. 210); 1062, *Nil sine permissu cuius vel denique iussu;* v. 232, *quid nostri forte parentes;* v. 438, *reliquorum quippe magistro,* etc.

Qui loci quum omnino barbariem inferioris ævi olent, tum ex aliis locis videtur certius elucere nostrum germanum esse. Primus Grimm, ut in sermone, sic in re metrica quædam indicia comperisse sibi visus est, monstrantia poema nostrum sive fidelius sive liberius e germanico quodam carmine versum esse. Neque hoc mirum, si quidem perpenderis quam similis sit hexameter antiquiori illi Germanorum versui, cui *langzeile* nomen est. Quamvis enim constet versuum decursum Germanos « rythmice », Latinos contra « metrice » metiri, hoc tamen et hexameter et versus *langzeile* dictus inter se habent commune, quod uterque duabus partibus constat, mora quadam et quasi statione divisis. Unde percipere poteris quam facile esset transferenti, latinos versus ad germanicorum imaginem et exemplar effingere. Quin imo nonnullos versus Grimm deprehendere sibi visus est, quos non secus ac germanicos versus rythmice metiri possis, quatuor in utraque parte syllabis accentu notatis. Ex. gr. : v. 16

Námque márem génuit quém Gunthári vócitávit[1].

1. Grimm, *Waltharius,* p. 101.

Cf. *Ruodlieb,* 6, 76,

Á modó non dóminám séd me dícant hómicídam,

et in ipso Walthario iterum : *Índolís egrégiæ. Hóstibús insínuánt.*

Ceterum testantur Casus Sancti Galli, in hoc cœnobio (ubi carmen nostrum scriptum est) discipulos ad duplex genus latinorum componendorum versuum solitos esse institui : alterum rythmicum atque idem homœoteleuto ornatum, cujus hoc refertur in *Casibus* exemplum :

Quid tibi fecimus tale
Ut nobis facias male ?
Appellamus regem,
Quia nostram facimus legem ;

alterum, ad quod jam majores discipuli instituebantur, nempe metricum, cujus hoc in iisdem *Casibus* præbetur exemplum :

Non nobis pia spes fuerat, cum sis novus hospes,
Ut vetus in pejus transvertere tute velis jus [1].

Præterea Grimm in sermonibus alternis, quibus pugnantes invicem lacessunt (qui plerumque e paucioribus versibus constant), quasi indicia quædam germanicorum tetrastichorum, qui in antiquissimis carminibus in usu fuerint, suspicatus est. (Vide vv. 629-632, 634-638, 641-644, 646-649, 664-667, etc. [2].)

Postremo et hoc idem acutiore ingenio excogitavit, e qui-

1. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, p. 91, apud San-Marte, *Beilage B.*

2. Quod tamen infitiatur Koberstein, p. 35 : « Eine strophische Gliederung alliterierender Gedichte ist im Deutschen nicht nachgewiesen, wenn auch Lachmann sie für möglich erklärte. »

busdam locis, si latinas quidem voces in germanicas transtuleris, præbere sese conjuncturam quamdam verborum eodem sono incipientium, aut ut rem prorsus dicam, alliteratione ornatorum. Alliterationem vero prioris Germanorum poeseos præcipuum ornamentum fuisse neminem fugit.

In hoc versu (709):

Tunc aciem gladii promens Scaramundus acuti,

verbum *acuti,* quod in germanica lingua ***s**carf* sonat, cum ***S**caramundi* similem sonum efficiebat.

Sic v. 603, *vitam et artus* ex ***l**ip inti **l**idi;* v. 272, *pisces simul atque volucres,* ex ***f**isch und **v**ogel,* traductum esse videtur; v. 597, *Waltharius vocor, ex Aquitanis sum generatus,* simul et in latinis verbis ***W**altharius **v**ocor,* et in germanicis ***f**ona **W**ascôm,* quæ sub *ex Aquitanis* latitant, alliterationem habes.

Quibus a Grimm allatis exemplis liceat alia adjungere, quæ ipsi nobis eruisse visi sumus : vv. 535, *caput attollens scrutatur* (**h**ebet das **h**aupt und **h**orcht); 551, *Absit quod rogitas mentis depone pavorem* (**F**erne sei.... **f**orderest.... **f**orcht); 595, *Ignoro penitus, quid opus sit forte uiantis* (Ich **w**eiss nicht **w**arum... **w**anderer.... **w**eg); 639, *Descendensque ab equo consedit et aspicit illo* (**s**tieg... **s**ass... **s**ah); 378, *lux Pannoniæ* (**l**icht Hunen**l**andes); 419, 420, *Waltharius... saltus* (**W**althari.... **W**ald); 442, *pisces Francia* (**f**ische **F**rankenland); 646, *procul.... amice* (**v**on **f**erne.... **f**reund).

Quibus eruendis vestigiis dum operam dabamus (neque tamen dantes fugere poterat nihil esse in hac re nisi minus certi), hoc tamen certissimum comperimus, in ipso latino componendo sermone alliteratione nostrum usum fuisse. Attentiore enim animo si quis singulos versus perlegerit, præsertim si uniuscujusque decursum alta voce, neque ea

quidem pronuntiatione qua nostrates sed qua Germani utuntur, accuratius declamaverit, exploratum habebit, poetam nostrum in inchoandis versibus concentum quemdam singularum vocum et repetitionem eorumdem sonorum diligentissime consectari, ita ut nullus in toto carmine versiculus reperiri possit, qui non, præter metricam legem, tinnitu quodam consonantiaque syllabarum exornatus sit.

Quæ ratio quanti momenti sit ad constituendum textum et ad distribuendos libros, infra videbimus. Antea monstrandum est qualis sit hæc concentuum ratio, et quæ noster in consectanda illa exemplaria imitatus sit.

Apud veteres Germanos hanc fuisse neminem fugit alliterationis legem (Stabreim), ut quatuor syllabarum in iisdem versiculis accentu notatarum duæ saltem, nisi forte plures vel omnes, eodem sono inciperent. Exempla plura afferemus e carmine illo anglo-saxonico quod ad nos de Walthario pervenit.

F. I, v. 5. ***S**vâtfâg and **s**veordvund **s**ecg äfter ôdhrum*
[cruentus et læsus vir alter post alterum (cecidit)].
v. 10. ***L**îf for**l**eósan odhdhe **l**ange dôm....*
[vitam linquere vel longam gloriam....]
*Daz **l**iebe mit **l**eide ze jungiste **l**one* (Nibel.)
[amoris dolorem novissimam mercedem esse].

A qua rudiorum populorum alliteratione, alliteratio, qua latinos poetas usos esse videmus, hoc discrepat, quod in horum carminibus non necesse est syllabas quæ rythmico vel metrico notantur accentu, easdem concentu litterarum notari, dummodo concentu initia verborum signantur. Apud Lucretium hujusmodi versus reperimus:

I, 14 *Inde feræ **p**ecudes **p**ersultant **p**abula læta.*
40 *... **p**etens **p**lacidam Romanis incluta **p**acem.*
726 *Ad cælumque **f**eral **f**lammai **f**ulgura rursum.*

Harum autem latinam rationem sequentium alliterationum permulta habes exempla in nostro poemate :

1° In fine versuum, ut fit in vv. 1211, *more meantes;* 1221, *lora leonis;* 1048, *rege resumptis;* 33, *fœdera firmant;* 1360, *cum cuspide currens;* 416, *strages sine uulnere uictor;* 1356, *contum contorsit in illum;*

2° In initio versuum : vv. 278, *Regi ac reginæ;* 297, *Diuersasque dapes;* 313, *Pocula plena;* 321, *Passim porticibus;* 351, *In tantumque timor;* 575, *Hunc hominem;* 597, *Waltharius uocor;* 1081, *Uerba ualent;*

3° In mediis versibus: vv. 137, *pauperiem propriam perpendere;* 446, *princeps præcepit;* 448, *dicta dedit;* 647, *totum transmitte;* 668, *clipeum collegit ;* 678, *sessorem sternere;* 1438, *turbas transversa tuendo.*

In aliis exemplis disjunguntur verba alliterationem sustinentia :

26 *Perdiderint natosque suos pariterque maritas.*
46 *Scutorum sonitu pauidus superintonat æther.*
990 *Misit in adversum magna cum uoce tridentem.*
1108 *Quam cædis damno nec sic discedere uelle.*
1129 *Demissique ligant animalia gramine læto.*

Quot vero in uno versu verba alliteratione notari debeant, quanquam nulla certa lege statuitur, triplicem alliterationem quasi sacrum quemdam numerum poeta hic et illic consectari videtur :

23 *Et dextras, si forte darent, coniungere dextras.*
679 *Et forsan faceret, ni lancea fixa teneret.*

Ergo in his exemplis morem quemdam ab antiquis traditum secutus esse noster videtur, ut non solum e germanicis illis elucet *Lîf forleósan odhdhe lange dôm,* etc., sed

etiam e Lucretianis *ferat flammai fulgura*, etc., et e nonnullis virgilianis, quorum notissima afferre liceat :

> *Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,*

et

> ..... *casus Cassandra canebat.*

In hoc quoque antiquiori consuetudini obsecutus est poeta noster, quod in quibusdam versibus, majoris ornamenti causa, alia verba aliis concentibus notantur :

> 776 *Lancea taurino contextum tergore lignum.*
> 1360 *At uir Waltharius missa cum cuspide currens.*

Cf. Beowulf :

> ***h**ilde **w**æpnum and **h**eado**w**ædum*

et Hildebr. L. :

> ***s**unufata**r**ungôs iro **s**aro **r**ihtun.*

Postremo et illud est antiquioribus legibus consentaneum, quod apud nostrum in compositis verbis ipsa radix æque ac præfixum alliterationem sustinere potest. Sic in eo quem supra transcripsimus versu 776, *taurino contextum tergore,* apertam alliterationem quum habes in *taurino tergore,* tum alia latet in *contextum.* Cf. vv. 1293, *Excussa et collem;* 1214, *conversus visos;* 1269, *nequis quin;* 1066, *pergens pugnam repararet;* 1309, *accedens cominus;* 1021, *fune nefando;* 227, *reticens intendit.*

In his quæ sequuntur exemplis præfixum alliteratione notatur : vv. 183, *Constiterat cuneus;* 184, *confundunt classica;* 144, *præmeditans quod post compleuerat.* Sæpius altera præfixum, altera radix alliteratione signatur : vv. 472, *in*

mea regna remisit; 563, *Præsumet se inpune*; 622, *Non si conserimus nos prospera cuncta sequentur*; 1111, *Conpatior propriusque dolor succumbit.*

Minores voculæ, encliticæ nominatæ, etsi cum majoribus concretæ, propriam suam alliterationem habere possunt: 1077, *comitante tecum*; 245, *temet mihi... mentem*; 324, *semel mulierem*; 833, *memorans semet.*

Præter hunc priorum litterarum concentum, artificia vel, ut rectius dicam, ludibria quædam consectatur noster, quorum apud germanicos poetas prorsus nulla, apud latinos vero nonnisi in rudiore ævo, vel postea, jam concidentibus artibus, exempla reperire est. In his quæ sequuntur exemplis alterum captat concentum, et quidem syllabarum in mediis vocibus positarum: vv. 1421 *Hagano spinosus*; 1390, *Incolomique manu mox*; 939, *Truncum cæsa ceruice*; 805, *territus intulit ista*; 1148, *aspera spinis*, etc. Cujus generis concentus sæpius ita distributus est ut metrico ictu notetur: vv. 827, *percussa securibus*; 1040, *ridere uidens audaciter*; 53, *Attollens oculos speculator*, præcipue in clausulis versuum: 614, *nomen regis honorem*; 150, *præcepta secundum*; 361, *laude salutent*; 981, *truncauit colla precantis*; 1135, *tractare satelles*; 874, *ludicra dedisti*; 926, *mundet uindicta sodales*[1].

Non semel ita verborum series disponitur, ut verborum non initiis sed clausulis concentus efficiatur. Cf. 1270, *nota satis habitu uirum rescire ualeres*; 802, *carnisque propinqui*; 514, *cornipedem rapidum*; 911, *resecans loricam*; 982, *Et nonus pugnæ Helmnod*; 1044, *uenio iam dixerat heros*; 1190, *Hora... terram irrorat*; 1047,

1. Interdum et meliores latini poetæ huic ludibrio indulserunt; cf. ex. gr. virgilianum illud : *spumantia mandit.*

aperire studeret; 1101, *Qui saltu baratrum sponte attemptarit apertum;* 795, *Numquid et iste putas astu uitabitur ictus;* 618, *pater te concomitantes.* Quæ ratio, ut vides, conjuncti aliquid habet cum homœoteleuto, de quo infra.

Atque hoc quoque delectatur ludibrio noster, ut fines verborum cum initiis insequentium concentu connectat, ut in his exemplis:

1088, *impune necatus;* 1192, *habitu tunicas;* 1160, *retinens ensem;* 1008, *Eleuter erat;* 1012, *aduersum summis; recauo uocat;* 449, *litore Rheni;* 1218, *euadere rebus;* 1260, *bella lacessas;* 1337, *uenabitur ursus* (cf. illud supra citatum Lucretianum: *fulgura rursum*); 11, *tempore regnum;* 556, *Cultores regionis;* 676, *loco consistere;* 984, *stantes tenuerunt;* 912, *uiscera cernens;* 1191, *spoliarier armis;* 64, *legati totis;* 63, *dubito tantum* (cf. Ennianum illud: *O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti*); 935, *Franci ceperunt;* 899, *perculsa sonum;* 1294, *infixa solo;* 1317, *comprensam sensim;* 804, *immunem numquam;* 1239, *Sermo mihi Hagano;* 1020, *animam mox liquerat atque.*

Illud quoque artificium notandum, quod in repetendis iisdem sonis, inverso vero ordine, consistit.

209, *recauo uocat;* 11, *tulit illud;* 1030, *Mente tamen;* 99, *reginam mandat;* 1, *pars orbis fratres Europa;* 365, *Respondent ipsi;* 1421, *spinosus et ipse;* 1010, *Urbs Spira.* (Cf. antiquum illud et notissimum: *Roma tibi subito motibus ibit amor.*)

Quibus in exemplis quum ludibria latinorum quorumdam poetarum imitari videtur, tum hæc quæ sequuntur germanos potius mores produnt. In germanis enim carminibus neminem fugit non solum consonantibus sed etiam vocalibus alliterationes sustineri.

Âgan mid eldum, Älpheres sunu (F. I, 11, fragm. ang. sax.).
[(gloriam) habent inter homines, Alpheri fili].
Ongan mid unryhtê ærest sêcan (27, *ibid.*).
[(pugnam) incepit sine jure primus lacessere].

Neque ut Jordan dicit[1], ipsarum consonantium alliteratio fit, sed spiritus cujusdam lenioris, auditu tamen sensibilis, quo apud Germanos æque ac apud Græcos, consonantes in initio vocum stantes notabantur : quam vero recte hic judicaverit e libris nostris videre potes, in quibus non semel *harena* pro *arena, horis* pro *oris, honustas* pro *onustas* et alia similia reperiuntur. Ceterum quæ allaturi sumus exempla sine dubio demonstrant et nostrum hoc vocalium concentu usum fuisse.

727, *artis amator;* 1028, *ocior olli;* 1041, *adesset amicus;* 19, *atque amnis arenas;* 421, *Atque ardens animis.*

In germanicis carminibus re vera ejusdem vocalis alliteratio vitabatur (cur, minus compertum est), diversarum vero potius concentus captabatur, ut ex illis quæ supra attulimus exemplis apparet. Similia habes exempla apud nostrum :

Conjunguntur graviores *a, o, u* et quæ ex illis componuntur diphthongi :

Vv. 554, *Hæc ait atque oculos*[2]; vv. 1000, *hæc... æscilus astitit;* 1397, *atque æger anhelitus arma;* 611, *Attamen ausculta;* 859, *O utinam;* 1338, *astat et artubus horret;* 841, *ocius ambis.*

Conjunguntur acutiores *i* et *e:*

683, *ingerit ensem;* 711, *Effrenique in equo;* 835, *Intercepit et ignarum;* 831, *Emicat hic inpune.*

---

1. *Der epische Vers der Germanen*, p. 30.

2. De litera *h* vide infra. Quis fuerit sonus diphthongi *æ* e voce *posthac* pro *post hæc* quodam modo elucet.

Imo acutiores et graviores temere miscentur: vv. 1087, *exercitus omnis ab uno*; 1120, *Insurgamus et attonitum*; 861, *alios homines inpune*; 1134, *Hespera et ausoniis obuertit*; 880, *Unde incursantem sic est affatus equestrem.*

In germanicis illis *eldum Älfheres — ongan unryhte* vocales eadem consonante quodam modo firmantur, *el: Äl, on: un.* Nonnulla hujusmodi exempla habes in nostro carmine, imo fere eadem: ut fit vv. 975, *Elicere Alpharides*; 1237, *Alpharides... ulla*; 880, *Unde incursantem* ;1321, *Hunc inclinari*; 869, *Instimulatus enim*; 1340, *Amplexans umbros*; 12, *Inpiger antiquos*; 311, *imitarier omnes*; 1, *orbis... Europa.*

Quid autem de hisce exemplis dices in quibus, quanquam res vix credibilis, hujusmodi syllabarum *el, un, in, ar,* etc., concentus fit, neglecta consonanti quæ stat ante: 294, *hinc indeque binos*; 185, *hinc indeque densæ*; 1281, *nec segnior egerat*; 938, *dolens pulsabat calcibus*; 548, *innocuus me tinxerit, inquit*; 29, *Hunc... Guntharius nondum.*

In his ergo exemplis novum genus alliterationum deprehendimus nempe alterius soni. Haud absimilem quemdam morem habes in his quæ sequuntur:

In verbis quæ conjunctis literis ***st, sp, sc*** incipiunt, negligi potest ***s***, ita ut altera litera ***t, p, c,*** alliterationem sustineat. Vv. 75, *statuitque tributum*; 678, *sternere temptat*; 1332, *tremens trepidusque stetit*; 572, *tali statione*; 178, *Sternere et externis terrorem inponere terris*; 1289, *Turbine terribilem tanto et stridore volantem*; 894, *Paulum suspiciens spectat*; 139, *sponsum post facta pudebit*; 855, *suspiria pectore*; 1089, *pectore sponsam*; 1156, *præcisis spinis... paliuris*; 1117, *positi in speculis... prata*; 1409, *compositis sponsus præcepit*; 799, *sponsio præstat*; 596,

Scrutari causas; 1132, *Et cum Scotigenis*; 602, *cum scriniolis*; 820, *scelerum cruciamina*; 840, *accipe scutum*; 907, *citius scutum*; 1226, *celer scutum collegit et excutit*; 1188, *præco scandebat*. Nihil tamen obstat quin **s** alliterationem sustineat : vv. 46, *Scutorum sonitu*; 416, *strages sine*.

Neque habet quidem hic mos quod mireris, si verum est illud quod pluribus placuit, nempe in initio verborum litteras *st, sp, sc* vocali quodam leniori, hebraico schewa simili, secretas fuisse in pronuntiando, quod hercle his exemplis confirmari videtur, in quibus manifesto noster ambarum consonantium consectatus est concentum : vv. 988, *sibi spe posuere*; 207, *super spoliauerit*; 720, *conspexit superbus* (ita ut fortasse pronuntiaretur *sibi s(e)pe, super s(e)poliauerit*, etc.). Haud absimile aliquid habes apud Lucretium : Invocatio, v. 37 *resupini spiritus*.

Simile aliquid effici videtur in liquidis **r** et **l** quæ, si in initio verborum post mutam positæ sunt, alliteratione notantur, ut ex his juncturis elucet :

15, *Prole recens*; 348, *Prima rubens*; 662, *regi transmitto*; 997, *trahunt restim*; 402, *erupit cras rex*; 1073, *recusanti precibus*; 1316, *pronus transmisit*; 1054, *Quo recidente preces.... promere Trogunt*; 1380, *Protinus abiecit monumentaque tristia spreuit*; 624, *conflictus longos*; 1189, *Lucens.... clarum*; 392, *lectum.... lumina clausit*; 64, *legati gladiis*; 1368, *lapso... infligere*; 1292, *clipeo lævi*. Cf. Ovidianum hoc : *limosaque flumina*.

Imo in hisce exemplis fines et initia verborum, secundum morem de quo supra verba fecimus, liquidarum concentu junguntur : vv. 377, *robur procul*; 449, *Vespere præterito residebam litore Rheni*; 62, *tradere pro regione*; 647, *Regi Francorum transmitte*; 996, *Clamorem Franci*;

988, *posuere triumphum;* 1202, *crepitantia frena virorum;* 1313, *Nec mora progeditur.... prouocat;* 461, *glomerare uolumina;* 859, *solum glutires;* 1273, *rutilum blandum.*

Sed jam de pronuntiandis quibusdam litteris plura dicenda. In vocalium ordine sonos conjunctos vidimus, non prorsus eosdem, sed similes (*Elicere Alpharides, Hæc ait atque oculos*). Simile aliquid habes in consonantium ordine. Nemo est quem fugit lex illa a Grimm comperta, de vicibus mutarum (*Lautverschiebung*). Quod genus sonorum, quum semel antiquissimis temporibus, tum iterum in posterioribus sæculis, ita mutatum est, ut tenues in spiratas, spiratæ in medias, mediæ in tenues transirent. Neque vero hæc rotatio (ut quo grammatici, ipsi utamur vocabulo) in omnibus Germaniæ regionibus, sed in solis superioribus effecta est, et (quod ad propositum nostrum maximi est momenti) in illis præsertim quæ ab Alamanis incolebantur. In Alamania autem, nempe in helvetico cœnobio Sancti Galli, ut infra monstrabimus, carmen nostrum compositum, et auctor noster, aut, si mavis, auctores nostri sermone illo utebantur, qui *Strengalthochdeutsch* vocari solet.

Quo vero hæc mutatio effici posset, necesse erat ut, vitio quodam natali pronuntiandi hæ tribus nullas acriores sonorum differentias facerent, neque ex. gr. litteras *b* et *p, f* et *ph, d* et *t,* etc., liquidius distinguerent, ita ut diutius (mutatio enim illa una die non effecta est) perturbatio quædam sonorum exstaret in pronuntiando.

Atque hujus quidem perturbationis sonorum in loquendo certissima affert indicia similis quædam mixtura litterarum, qua in scribendo utebantur librarii nostri. Ex. gr.:

Vv. 918, *bibennem* D pro *bipennem;* 920 et 1049, *belta* D pro *pelta;* 1063, *falerati* cet, *phalerati* B; 458, *cavallis* alii,

caballis alii (cf. vv. 676, 1116); 316, *palbuttit* D; 625, *poblite* α.

1083, *capud* α; 672, *inquid* A; 398 et 753, *reliquid* plures; 782, *Hadawartus* α... *wardus* cet.

1171, *Cundhere* B, *gunthere* α D, *Cuntarius* C ubique excepto 781, ubi habet *Guntharius*; 914, *Geruitus* b, dum idem cum B, 935, *Keruitus*; 379, *charam* T, *karam* L H (cf. 691); 453, *choruscam*; idem monachus appellatur *Geraldus* in Prologo, *Keraldus* in Casibus.

Talibus ergo vitiis quum illo tempore neque oculi neque aures offenderentur, jure forsan conjiciamus et poetam nostrum concessam licentiam sibi asseruisse visum esse, quum ad efficiendum concentum non jam easdem prorsus conjungeret litteras, sed similes tantum, id est ad eumdem ordinem pertinentes (*b, p, f, ph*, etc., *d, t, th*, etc.).

Cujus rei quanquam immensa copia exemplorum præstat, talia potissime selegemus in quibus consonantia verba juxtaposita sunt, ita ut non jam casui tribui possint consonantiæ, consulto vero cogitatoque affectata fuisse appareant.

Conjunguntur **b** et **p**: vv. 1123, *Tum* ***b****ellare* ***p****otes* ***b****elli*; 1145, ***P****rimo mane* ***p****arent* ***b****ellum*; 1282, ***p****edites* ***b****ellare* ***p****arati*; 1067, ***p****rohi****b****et* ***b****ellare* ***p****arentum*; 630, *su****b*** ***p****ectore*; 988, *si****b****i* ***sp****e* ***p****osuere*; 1010, *Ur****b****s* *S****p****ira*; — **p**. cum **f**: 139, ***p****ost* ***f****acta* ***p****udebit*; 710, ***p****ræscindere* ***f****rontem*; — **f** cum **v**: 540, ***u****acuas* ***f****erro* *trans****u****erberat*; 769, ***U****osago* ***f****auni* ***f****antasma* ***u****idere*; 838, ***f****ugam* ***f****ruticesque* ***u****olebat*; — **f** cum **ph**: 536, *re****f****ert* ***u****olitare* ***ph****alangem*; — **p** cum **v** et **f**: 631, ***f****astidit* ***p****rælia* ***u****erbis*; 6, ***p****o****p****ulus* ***f****ortis* ***u****irtute* ***u****igebat*; 900, ***f****erire* ***u****olens* *se* ***p****ronior*; 209, ***p****rimus* ***f****rontem* ***f****esta cum* ***f****ronde* *re****u****inxit*; 1351, *O* ***p****aliure* ***u****irens* ***f****oliis ut* ***p****ungere* ***p****ossis*. Notanda sunt hæc exempla, in quibus nomen *Alpharides* nulla nisi labiali incipiens vox in-

sequitur: 898, *Alpharides parmam;* 909, *Alpharides fixa;* 1014, *Alpharidi uanus labor;* 839, *Alpharides fretus pedibus uiridique iuuenta.*

Quod ad gutturalium ordinem pertinet, hoc minime dubium est litteræ **c** non sicut apud nostrates sibilantem, sed gutturalem potius sonum tribui, ut manifesto ex his exemplis conjici potest: vv. 325, *Præcipiens causas citius;* 163, *cedere curæ;* 376, *cecidisse columna;* 682, *currit celeberrimus;* 1328, *citius succurreret.* (Cf. *cellarium,* germ. Keller; *carcer,* germ. Kerker.)

Ergo nihil est quod miremur conjungi **c** cum ceteris gutturalibus; cum ***qu:***

Vv. 664, *Hæc postquam Camelo percepit corde;* 21, *concilium cogit quæ;* 369, *postquam cognovit;* 1099, *Quæ nequeunt cordi;* 238, *quod corde;* 292, *quem corde;* 410, *qui quamuis cuperet;* 367, *recubare quietum;* 390, *cura quietem;* 444, *quantocius cuias;* 800, *oculis quia complacet;* 1220, *commoda cernenti quondam;* 1327, *quem quoque continuo;* 1105, *Et licet huc cunctos equites;* — **c** et ***qu*** cum ***g;*** 1206, *Scrinia gestantem comprendens;* 1063, *terga caualli;* 640, *Guntharius Cameloni præcipit;* 453, *Gesserat et scutum gradiens;* 461, *cupit glomerare... crurum;* 462, *ceu quis gemmis;* 527, *Quisquis ei congressus;* 45, *Quadrupedum cursu tellus concussa gemebat;* 438, *Regalique coco reliquorum quippe magistro;* 1264, *Contra quæ Hagano;* 1276, *Iccircoque gazam capio;* 1158, *cum gemitu et cuicumque;* 1074, *satagit reuocare loquelis;*

1453 *Hæc quicumque leges stridenti ignosce cicadæ,*
1454 *Raucellam nec adhuc uocem.*
1220 *Et citius pergens luco succede propinquo.*

x conjungitur cum quacumque gutturali : 964, *ac mox;* 981, *uix hæc;* 1171, *rex Gunthere;* 1304, *Hic rex Guntharius cœptum;* 1298, *Excidit ignauum ligni;* 1300, *Mox stringunt acies;* 1141, *complexibus actum;* 1169, *Sex girauit equos et uirgis;* 1175, *Moxque cibum capiens ægros recreauerat;* 1199, *Circumquaque oculis explorans;* 1185, *Sic reliquum noctis duxit modo quippe caballos;* 1194, *Loricas quoque cum galeis detraxerat.*

Littera *h* non obstat quin insequens vocalis alliterationem sustineat : vv. 660, *ex-hibet ista;* 1050, *Hinc indignatus iram;* 864, *ardet habendi;* 1008, *Eleuter erat Helmnod;* 1382, *Abstulit hanc Hagano.* Nihilominus *h* cum *h* alliterationem efficere potest ut in hoc postremo exemplo : *hanc Hagano.* Cf. 1313, *Haganon.... hostem;* 1089, *adhuc Haganon;* 464, *His Hagano;* 553, *Hic ualet hic hostes;* 559, *Hoc heros;* 1003, *hostes hortabantur.* In v. 543 duplex est alliteratio, altera litteræ *h*, altera vocalis, *Hunos hic, inquit, habemus.*

In propriis germanicis nominibus initialis *h* gutturalem quemdam sonum habet, germanicæ linguæ proprium, sicut ex his quæ sequuntur exemplis apparet, in quibus quæ litteram *h* antecedit syllaba, si brevis est, producitur ; si vocalem sonum habet, elisionem non patitur : vv. 5, *Quām tăměn ēt Hūnōs*[1] ; 1064, *cĭtĭūs Hăgănōnă;* 35, *Cuius primatūm Hērĭcŭs;* 155, *Et solitam regnō Hūnorum inpendere curam;* 571, *Tunc ait ex pugnā tĭbĭ Hīltgūnd*[2].

In communibus latinis verbis quanquam sequitur littera *h* universe virgilianam legem, non tamen desunt loci ubi

1. Paulus Diaconus, Fredegarius et alii *Chuni, Chunni* scribunt ; *Heriricus* alias *Chariricus* appellatur.

2. In rarioribus exemplis vocalis literam *h* antecedens eliditur vv. 816, *germānă Hăgănōnis;* 855, *Tristatŭsque Hăgăno.*

eadem gutturalem vim illam germanicam habet: v. *Illius aspectū hilares, u* non eliso; vv. 343, *In qua piscatōr hamum;* 650, *Opperiens propiūs hostem;* 1039, *Corde tamēn habitum;* 1295, *fraxineūm hastile superbus.* (Cf. 131, 395, 406, 418, 498, 685, 810, 823, 950.)

Adde quod in iisdem libris promiscue scribitur *nichil, nichilominus* et *nihil* (vv. 242, 480, 1073), *michimet* (1246); *Proch pudor* (1088), etc.; et in memoria revoca exempla illa quæ nuper attulimus, ubi latinum *h* cum germanico conjungitur (***H**aganon.... **h**ostem*). Neque hoc a natura latinæ antiquioris linguæ abhorrere videtur, ut clare apparet e formis *vexi, traxi, vectum, tractum* (*vechsi, vechtum*) a *veho, traho* derivatis[1]. Adde quod usque ad hunc diem gutturalibus sonis Helvetiorum pronuntiatio maxime abundat.

Littera ***j*** quantum distet a nostra gallica in verbis *jeter, jamais* ex his juncturis perspicere potes: vv. 1082, ***I**ustius **i**n;* 1405, ***i**lle **i**acebat;* 632, ***i**uste conceperat **i**ram;* 636, ***i**am t**i**mor **i**mpedit;* 1296, ***I**ecit.... **i**n **i**ma;* 1317, *Et **i**am.... **i**psam;* 1383, ***I**n med**i**o **i**actus;* 1425, *Francus a**i**t **i**am deh**i**nc;* in quibus minimum certe discrimen inter vocalem et consonantem exstare videtur.

Ut *i* et *j*, sic ***u*** et ***v*** una et eadem littera notantur: quod sine dubio indicat, ut in scribendo, sic in pronuntiando fuisse utrique aliquid cognationis.

Versus 1143 quum in libris omnibus sic refertur: *Hostis et an urbem uellent,* libenter equidem cum Peipero pro vitiosa hanc lectionem habuerim, crediderimque in archetypo hanc veriorem fuisse: *Hostis et an uellent urbem.* (De inversis numeris versuum in *x′* vide infra.) Quum vero hæc recensio ab omnibus correctoribus, et quidem a β et γ, rei metricæ mi-

1. Cf. Grimm, p. XXI, et Peiper, p. XLI.

nime imperitis, accepta sit, suboluit nobis tribuisse homines illius regionis atque temporis huic litteræ *u* (in *urbem*) vim quamdam insolitam, atque talem quidem ut tam aperto vitio *ăn urbem* eorum neque oculi neque aures offenderentur. Sed, quod maxime oportebat, perquirendum erat num alia exstarent hujusmodi exempla in quibus literæ **u** et **v** dedita opera conjunctæ fuerint. Nec percunctantes spes fefellit.

Vv. 228, ***uacuum uas;*** 648, ***Si uis ulterius uitam uel;*** 1389, ***Uerum uulnigeram.... ulnam;*** 708, ***unum deuitat, quatit ex umbone***[1]; 922, ***Sanguineumque ulua uiridi;*** 1036, ***uiridem uacuauerat uluam;*** 1351, ***paliure uirens;*** 1056, ***Seu uirtute.***

Si jam intentius quærimus quæ horum sonorum *u* et *v* pronuntiatio fuerit, duo sese nobis exempla ante omnes retinenda præbent: vv. 922, *ulua uiridi,* et 1036, *uacuauerat uluam.*

Quæ vox *ulua* quum diutius a commentatoribus traductoribusque pro *herba* posita esse credita fuit, monstrabimus infra eam *vaginæ* significationem habere, ita ut *uuluam uiridi, uacuauerat uuluam* legendum sit. In hoc ergo posteriore exemplo quum correptam postremam syllabam habes in *uacuauerat,* non obstante insequenti duplici *uu* in *uuluam,* contrarium efficitur ejus exempli quod supra vidimus et in quo producitur *an* ante *urbem.* In priore vero illo *Sanguineumque uuluam uiridi* littera *e* elisa est. Ex his exemplis ergo non temerius aliquis conjiciat litteræ *v* infuisse vim quamdam a nostro labiali sono aliquantulum remotiorem, atque aspirationi propiorem; litteræ *u* vero labiali sono propiorem, ita ut utraque nonnihil cognationis haberet cum *w* britannico, vel cum *v* in voce *vicus* a græca οἶκος derivata.

1. De virtute litterarum *qu* vide infra.

Ergo hic versus 648, *Si uis ulterius uitam uel* ita proferri possit : *Si houis houlterious houitam houel;* pariter se res habet de ceteris : *et an hourbem houellent — houacouauerat houlouam.*

His positis, minus jam mirabimur cum *u* sæpius diphthongos *au* et *eu* conjungi, ut fit in his exemplis : vv. 735, ***u**ergit in a**u**strum;* 819, ***u**irgine et a**u**ro;* 588, *a**u**t **u**nde **u**enis;* 667, *a**u**t **u**itam;* 1186, *a**u**sc**u**ltans **u**allo;* 1040, ***u**idens a**u**daciter;* 1200, *A**u**ribus..... **u**entos..... a**u**ras,* in quibus aspiratione insita in *u* fortasse simul et antepositæ vocales *a* et *e* corripiebantur, ita ut legendum foret : *houergit in haustrum — haut houitam,* etc.

Post litteram ***q*** littera ***u*** labialem potius sonum habere (*kw*) non solum nostri temporis Germanorum consuetudine probatur (*Quelle* [fons] = *kwelle*), imo litterarum *q* et *u* (*v*) affinitas antiquissimis exemplis firmatur : vox in primigenia lingua usitata *kiwas* a Gothis mutatur in vocem *quiuas,* quæ eadem est quæ apud Latinos *vivus* et apud recentiores Germanos *quick, keck.* Unde apud nostrum talia concentus exempla habes :

1080, *q**u**ippe **u**idetur;* 623, ***U**isum q**u**ippe;* 803, *q**u**i q**u**am**u**is **u**olucrem;* 654, *Q**u**id q**u**æris **u**el q**u**id;* 975, *nec q**u**i**u**it **u**iribus ullis;* 944, *Q**u**æso **u**iri.* Cf. 1086, *q**ui**s **fui**mus;* 1124, *Q**u**ippe **fu**gam;* 1149, *Q**u**ippe **f**eris.* (Supra tamen vidimus *qu* et gutturali concentu notari : ***C**ommoda **c**ernenti **q**uondam;* 1327, ***Q**uem quo**q**ue **c**ontinuo.*)

Neque aliter res se habet de ***gu.*** 1212, *Exsang**u**isq**u**e **u**irum;* 949, *sine sang**u**ine **u**ictor.* Quod litteræ ***sua, sue*** in *s**u**adere, s**u**etus* in unam syllabam corripiuntur, nihil habet nisi virgilianum; sed hoc est in nostro attentione dignum, quod in his verbis ***u*** alliterationem sustinet; 1311, ***u**assum præcedere s**u**adens;* 157, *cons**u**e**u**it **f**erre la**b**o-*

res; 1253, *q**u**ibus ass**u**eti **f**u**imusq**u**e;* in v. 370, ***u**estes de**f**erre s**u**etas,* quanquam false *s**u**etas* in tres syllabas dividitur, nihilominus ***u*** alliteratione signatur; sed maxime notabilis est versus 791, *sq**u**amoso tegmine s**u**etus,* in quo *a* *s**u**amoso* habet. Cf. vocem *bel**u**æ* in clausula v. 1342 in duas syllabas correptam.

Littera ***w*** duplicem sonum habet ***gu*** similem, ut jam ex titulo qui parisiensi libro inscriptus est, clare apparet: *Poesis Geraldi de Gualtario.* Hujus duplicis soni ***gu*** nunc ***u*** solus alliterationem sustinet: vv. 1426, ***w**antis sine **f**ine **f**ruatur;* 597, ***W**altharius **u**ocor;* 228, ***W**altharius **bi**-**b**ens **u**ac**u**um **u**as **p**orrigit olli;* 79, ***W**altharium **p**ri*-*mævo **f**lore;* 620, ***W**altharius.... **u**irtus;* 696, ***W**altha*-*rium.... **u**ideret;* 965, ***w**elandia **f**abrica;* nunc duplex est alliteratio, et gutturalis et labialis: 1434, ***W**altharius **cu**i nulla **qu**ies;* 935, ***cu**i **W**althare talia reddit,* etc. Lege: ***Gu**alt. **cu**i.* Ceterum in toto poemate ab auctore *Gualtarius* re ipsa scriptum fuisse, testatur mendum illud in libro C, qui inconsulte *Ualtarius* scripsit v. 345, ubi archetypus habebat *grauatus*[1].

Sed jam de homœoteleuto loqui necesse est. Ut alliterationis ratio est concentus verborum in initio positus, sic homœoteleuti est concentus finalium syllabarum. Cujus quum jam apud veteres poetas exempla reperiri est nonnulla (Lucret. I, 800, *posse eadem dempt**is** pauc**is** pauc**is**que tribut**is***), tum nostrum carmen illis abundat. Vv. 168, *His*

---

1. Hæc de prolatione litterarum *i* et *j*, *v* et *u* jamdiu a nobis conscripta erant, quum librum de re metrica auctore L. Havet inspeximus (*Cours élémentaire de métrique grecque et latine*), ubi p. 185 sq. de iisdem pronuntiandis sonis disseritur. Neque parvam quidem lætitiam percepimus, cernentes omnia quæ ipsi nobis comperisse videbamur, tanti viri auctoritate firmari. Et quanquam falsi aliquid inest sententiæ nostræ, scilicet hunc pronuntiandi morem Germanis X s. degentibus peculiarem fuisse, dum re vera veteribus Romanis communis erat, nihilominus omnia quæ scripseramus, integra servavimus.

*precib**us** uict**us** suas**us** rex;* 1273, *enim rutil**um** blan-d**um** pretios**um*** ; 125, *Provide**at** caue**at**que;* 115, *Nam qu**id**qu**id** uol**uit** de rebus fec**it**.*

Si homœoteleuta ita disposita sunt ut consonantium vocum posterior in clausula versus sita sit, prior vero consonanti syllaba cæsuram notet, leonini versus evadunt. Quorum versuum quum copia immensa est in ipso poemate, tum prologus nullos nisi leoninos versus habet.

604 *Waltharius contr**a** fidenter protulit ist**a**.*
880 *Unde incursant**em** sic est affatus equestr**em**.*
1060 *Ecce simul cæs**i** uoluuntur puluere amic**i**.*
118 *Fœdera dissol**uit** censumque subire neg**auit**.*
Prol. 1 *Omnipotens genit**or**, summæ virtutis amat**or**.*

In his qui præstant versibus homœoteleuton in penthemimeri hæret; in his qui sequuntur, situm est in hepthemimeri:

1048 *Ecce Tanastus adest tel**is** cum rege resumpt**is**.*
1077 *Quam vita comitante, dom**um** si uenero tec**um**.*

In paucioribus homœoteleuto prior syllaba secundi pedis notatur:

562 *Hinc null**us** rediens uxori dicere Franc**us**.*
1055 *Conuici**is**que sui*[1] *uictorem incendit amar**is**.*

In his qui sequuntur versibus (cujus quidem modi paucissimos reperire est) vox prior homœoteleuton sustinens non in cæsura hæret:

1439 *Sed fidei mem**or** antiquæ tibi consiliab**or**.*
149 *Sed precor ut servi capiat**is** verba fidel**is**.*
162 *Ad quæcumque iubes secur**us** et ibo parat**us**.*
1372 *Sed cassis fabref**acta** diu meliusque per**acta**.*

---

1. *Sui* ω ; sed fortasse legendum est *suis*.

Cf. v. 187:

Fulminis inque modum cuspis uibrata micabat.

In quibusdam versibus sonus homœoteleuton efficiens ter et quater repetitur:

110 *Virgo etiam captiua deo præstante supremo.*
181 *Per latos aciem campos digessit et agros.*
1345 *Terror et ipse labor bellandi solis et ardor.*
1317 *Et iam conprensam sensim subtraxerat ipsam.*
202 *Et uersis scutis laxisque feruntur habenis.*

In his exemplis quum homœoteleuta, iisdem quidem sonis notata, nihil nisi clari apertique habent, tum in aliis minus absolutos concentus reperies. In illis quæ supra attulimus exemplis de finali alliteratione: 911, *resecans loricam;* 1270, *nota satis habitu uirum rescire ualeres,* quasi homœoteleuta quædam habes, non jam vocalibus sed consonantibus congruentia. Cf. *conprensam sensim* illud in novissime citato v. 1317.

Minime ergo dubium videtur leoninam quamdam, quamvis minus accuratam rationem consectatum esse nostrum in his versibus et multis aliis:

514 *Cornipedem rapidum.*
22 *Consensere omnes fœdus debere precari.*
1026 . . . . *tracturi deposuerunt.*
189 *Spargitur haud aliter.*
1055 . . . . *uictorem incendit amaris.*
1430 *Ac dextro femori gladium glomerare uideris.*

In hiscontra quæ sequuntur exempla, dum absolutus est concentus vocalium, minus apte congruunt consonantes :

187 . . . . *uibrata micabat.*
129 *Nam uereor ne fors.*
1215 . . . . *mea dextera fuderat.*
1266 *Uim prius exerces Walthari postque Sopharis.*

Postremo homœoteleuton, ut alliteratio, in alterum versum prosilire potest :

105 *Donec iam cunctos superarent fortiter Hunos.*
106 *Militiæ primos tunc Attila fecerat illos.*
158 *Nil tam dulce mihi quam semper inesse fideli*
159 *Obsequio domini : quare precor absque iugali.*
1193 *Armillas tantum cum bullis baltea et enses,*
1194 *Loricas quoque cum galeis detraxerat ollis.*
1195 *Quatuor his.*

Ex hac immensa copia exemplorum videre potuisti quantum sit in nostro carmine studium, quanta affectatio repetendorum sonorum. Neque horum artificiorum alia in aliis versibus, sed fere in unoquoque versu omnia invenies simul.

Accumulare voces eamdem litteram præbentes maxime juvat auctorem. In v. 137, ***pauperiem propriam perpendere*** litteras *p* et *r* repetere studuit. Versus 449 omnia verba litteram *r* continent :

Vespere præterito residebam litore Rheni ;

cui simillimus est v. 1025 :

Arma recolligere ut rursum repararet agonem.

Cf. 1194, *Loricas quoque cum galeis ;* 1199, ***Circum-***

quaque oculis; 1120, *et attonitum post terga;* 737, *se consumpsisse sagittas;* 761, *vegetat tractabile temet.*

Non semel hoc tinnitu syllabarum ad pingendos naturales sonos utitur ; v. 1389:

Turbine terribilem tanto et stridore uolantem.

Vv. 45, 46:

Quadrupedum cursu tellus concussa gemebat,
Scutorum sonitu pauidus superintonat æther.

Vv. 1337, repetitione graviorum vocalium « **u**rs**u**s t**u**mid**u**s canib**u**s circ**u**mdat**u**s » depingitur :

. . . . *astat et artubus horret*
Et caput occultans submurmurat ac propiantes
Amplexus umbros miserum mutire coartat.

Insequenti vero 1341, acutiori ***i*** latrantium canum imitationem habes :

Tum rabidi circum latrant hinc inde molossi.

Cf. jam citatos 1453 sq. *ignosce cicadæ Raucellam nec adhuc uocem* et versus tales ubi sæpius repetita litera ***i*** nescio nonne ira depingi debeat :

1265 *Edidit atque iram sic insinuauit apertam,*
1266 . . . . . *mihi uim quia tu prior infers.*

Cf. vv. 1376 sq.

Belliger ut frameæ murcatæ fragmina uidit,
Indigne tulit ac nimia furit efferus ira
Inpatiensque sui capulum sine pondere ferri
Quamlibet eximio. . . . .
Protinus abiecit monimentaque tristia spreuit (cf. v. 1050):

Eodem sono *i* ironia exprimitur v. 1277:

> *Sit ne tibi soli uirtus uolo discere in armis* (cf. vv. 1439-40)

et dolor, v. 946:

> *Quid mihi si Uosago sic sic inglorius ibo!*

Et nunc ut quæ præstant pagellas jam paucis verbis complectamur, compertum habes quantam non solum « curam », ut dicitur in *Prologo,* sed quantam industriam, quantamque scientiam in condendis versibus auctor noster adhibuerit, nisi forte (de quo infra) dicendum sit *auctores nostri*. Quam quæstionem de auctore quanquam non hic locus est ubi enodemus, tamen hoc nobis jam nunc retinendum, quod postea maximi momenti erit, his ornamentis, scilicet allitterationibus et concentibus, necnon virgilianis locis ita fuisse carmen nostrum refertum, antequam β et γ correctores excogitationes suas adjicerent, ut non sit quin auctorem vel auctores qui librum x', horum β et γ communem fontem, composuerint, pro viris quibusdam habeamus rei metricæ peritissimis, atque hercle β et γ ipsis longe peritioribus. Et ut rem prorsus dicam, poema nostrum, quale in x' præbetur, ab adolescentulo compositum fuisse non potest.

CAPUT III.

QUOD PRÆSIDIUM POSITUM SIT IN ALLITERATIONIBUS ET ASSONANTIIS NECNON IN HOMŒOTELEUTO AD CONSTITUENDUM TEXTUM.

In his alliterationum et consonantiarum legibus maximum auxilium est ad conformandum textum. Etenim, quum in illis locis ubi omnes libri consentiunt, hanc sibi legem auctor haud dubie proposuerit, ut quam maximum verborum tinnitum efficeret, nunc perquirendum est nonne in eis locis, ubi discrepant singuli libri, plus fortasse auctoritatis accedat illis lectionibus, quæ consonantiarum legi magis consentaneæ sint.

Ne vero vana specie delusi, leviorem conjecturam in his rebus persequi videamur, talia jam afferemus exempla, in quibus quæ lectiones propter consonantias nobis præferendæ visæ sunt, eædem cum ratione et auctoris proposito maxime congruunt.

Hiltgund, ubi propinquantes hostes videt, Waltharium sponsum precatur, ut collum suum resecet, ne ullius alius viri conjugium patiatur. Waltharius vero respondet, se tali sanguine manus fœdare nolle. Versus vero quo hoc responsum exprimitur, sic ab α refertur :

548 *Tum iuuenis : « Cruor an nocuus me tinxerit? » inquit.*

Jure vero tu quæres cur puellæ cruor « nocuus » appelletur, quum contrariam quamdam vocem ratio postulet:

neque re vera vox talis in ceteris libris desideratur, ubi sic versus idem transcriptus est :

Tum iuuenis : « Cruor ***in****nocuus me t****in****xerit ? »* ***in****quit.*

Hoc autem verbum ***in****nocuus* quam consonantiam efficiat cum verbis *t****in****xerit,* ***in****quit,* planum et apertum est. Decipiebat scriptorem α in hoc loco, ut in pluribus aliis, forma litterarum *a* et *i* (cf. vv. 584, *noverit* pro *nouerat ;* 584, 1220, etc., etc.).

Neque diverse res se habet v. 924, qui dum a ceteris libris sic refertur :

Sermo quidem nullus fuit inter martia tela (vel *bella*),

solus A pro *martia* habet *inertia,* quæ vox non solum cum antecedente *inter* consonantiam habet (*fu****it*** ***in****ter* ***in****ertia*), sed etiam aptissime auctoris propositum exprimit, scilicet : « Sic erat heroum mens bello intenta (925) ut non jam, sicut antea, data requie telis (inertibus telis), invicem sese sermonibus conviciisque lacesserent. »

V. 263 sq., Waltharius Hiltgundem omnia congerere jubens quæ aufugituris auferenda erunt, dicit :

« *Imprimis galeam regis tunicamque, trilicem*
Assero loricam fabrorum insigne ferentem
Diripe bina dehinc mediocria scrinia tolle. »

Voce illa *Assero* nihil certe obscurius esse potest ; si vero in ejus loco *Affer* posueris, non solum imperativum modum habebis cum duobus aliis *Diripe* et *tolle* congruentem, sed etiam consonantiam litterarum *ff* in *A****ff****er* cum vocibus ***f****abrorum* ***f****erentem.* Per transennam vidit A veritatem, neque tamen plane, quum pro *Affer* scripserit *Affero.*

Versus 700, quem ceteri libri barbarismo inquinatum referunt, a D non solum rei grammaticæ, sed rationi, et, quod majoris ponderis est, consonantiarum legi consentaneus refertur :

*Non ego **iam**[1] **gazam** quicq**uam** rerumque tuarum.*
*Non ego **iam** **gazam** vel rerum quicque tuarum* (ceteri).

Versus 1437, ubi Waltharius oculo orbatum Haganonem ridet, sic habetur in AB :

Ex hoc iam famulis tu suspectando uidebis,

quod prorsus intelligi non potest : si vero pro *uidebis* recipies *iubebis*, quod refertur a DT, non solum alliteratio evadet verborum ***i**am **i**ubebis,* sed etiam clara et perlucida præbebitur sententia, scilicet : « Tu, utpote altero oculo orbatus, suspectando et transversa tuendo famulis mandata dabis. » *Iubere* vero cum dativo (germ. *Einem befehlen, gebieten*) non hoc solo loco reperitur ; cf. v. 601, *tibi.... iubet heros.*

Versus 1036 hæ variæ lectiones sunt :

Moxque genu posito uiridem uacuauerat ensem A.

pro *ensem* habent *ædem* CBT, solus D *uluam*[2]. Insequenti vero versu 1037 :

Atque ardens animis uibratu terruit auras

satis lucide indicatur, versu 1036 auctorem dicere voluisse : genu posito, heroem gladium strinxisse. Sed quum *uacuare*

---

1. Revera scripsit D *nunc* pro *iam ;* neque tamen dubium est *iam* fuisse in archetypo *x,* et fortasse utrumque *iam* et *nunc* in *x'*.

2. Cf. quæ de hoc versu supra diximus, p. 64.

non de gladio, potius vero de vagina dicatur, rejicienda est lectio *ensem;* neque quid vox *ædem* sibi velit lucidius. Restat *uluam.* Quid autem si *ulua* positum fuisset pro *vulva,* id est *uagina?* Neque vero res ambigua esse potest, non solum quod C librarius supra lectionem suam *ædem* hæc verba: *.i. uaginam* scripsit, sed quod et in alio loco, v. 922, eadem voce *ulua* pro *uulua* noster usus est:

Sanguineumque ulua uiridi dimerserat ensem,

scilicet: « gladium vaginæ condidit » ; atque equidem miror quomodo conspicui viri ut Scheffel, San-Marte, etc., in hoc loco adeo errare potuerint ut voci *uluæ* vim vocis *herbæ* tribuentes, illam in germanicum *Riedgras* transtulerint.

Quod vero maximi momenti est, hæc eadem vox *ulua* non minus consonantiarum lege quam sententia arcessitur, ut plane apparet e conjunctura verborum: ***u**iridem **u**acuauerat **uu**luam.* Quidquid de vi litteræ *u* diximus, supra vide. Vix ergo dubitari potest hanc vocem *uluam* ab ipso auctore positam fuisse, quum vero consonanti littera *v* in *vulva* produceretur antecedens syllaba *at* in *uacuauerat,* correctam fuisse ab emendatoribus, vocem *uluam* in *ensem* unde imperitior librarius litterarum forma deceptus *ædem* effecit.

In his quæ sequuntur exemplis, quanquam singulæ lectiones, inter quas optio tibi datur, cum sensu congruunt, illis nihilominus lectionibus, quæ cum consonantiarum modo congruunt primæ partes nobis tribuendæ visæ sunt.

Itaque recipiendum nobis videtur:

Vv. 537, *Ipse oculos ter**so** **so**mni glaucomate purgans* D pro *tersos somni,* quod præbetur a ceteris; 431, *Uenerat ad fluu**ium** **iam*** cet. pro *flumen* C; 109, *Iccircoque nimis princeps **dil**exerat **il**los* AH pro *ambos* cet.; 472, ***Hanc***

***nunc cunc**tipotens* α pro *Hanc mihi* H, *Nunc mihi* γ I, *Hanc deus omnipotens* D; 742, ***O**lli **Wa**ltharius* βγ (propter graviorem *O* quod cum *al* convenit pro acutiori I in *Illi Waltharius*, quod refertur ab α; 1276, *Iccircoque **ga**zam **ca**pio* cet. pro *cupio* A B; 917, *rese**c**aret **c**olla ia**c**entis* cet. pro *recidisset* γ quod præterea a mensura discedit; 1337, *Haud ali**t**er **t**umidus quam **d**um uenabitur ursus* β, pro *numidus* cet. (Atque re vera parum apparet cur poeta ursum suum e Numidia arcesserit, cum Alpini montes ursis eo tempore refertiores essent; ipsi sancto Gallo in eo loco quo postea cellam suam instruxit, ursum obvium fuisse fabula refert.)

Quum in quibusdam locis alii libri verba in alio ordine referant, quis esset ordo in archetypo, connexione sonorum certissime tibi indicatur.

Sic dum v. 208 a D sic refertur :

Et tandem recauo ductor uocat agmina cornu,

non dubium est quin legendum sit cum ceteris : *Et tandem ductor reca**uo** **uo**cat*, etc. Similiter 1020, pro *animam liquerat mox atque* C, legendum est cum A *ani**m**am **m**ox liquer**at** **at**que*. Cf. 1402, dum ceteri habent *Illic Guntharii pes regis palma iacebat*, præferendum *Illic Guntharii **regis** **pes** **p**alma* D γ ; v. 1160, pro *Ac ensem nudum retinens* A, legendum *Ac nudum retin**ens** **ens**em* cet. Cf. 1119, *Campos ubi calcet* cet., *ubi **c**ampos **c**alcet* A ; 1298, *Excidit ignavum de ligni uulnere* γ, ***ig**nauum **lig**ni* cet. ; 981, *Uix effatus hæc* γ *et Ui**x** hæ**c** effatus* cet.

Versum 1029, quanquam ab omnibus libris sic refertur : *Et cursu capto suras*, suspicor in archetypo hoc ordine scriptum fuisse : *Et capto cur**su** **su**ras* vel potius *Et cur**su** **su**ras capto mucrone* ut *capto* ad *mucrone* trahatur ; v. 210,

uulgo quod ab omnibus in clausulam rejicitur, fortasse in ineunte altera parte versus ponendum, sic ut simul alliteratio efficiatur verborum *Uictrici... uulgo* et consonantia vocum *Uictrici cingens:*

> *__U__ictri__ci__ __c__ingens __u__ulgo sua tempora lauro,*

quod præterea virgiliani illius ordinem sequitur :

> *Inter uictrices hederam tibi serpere lauros* (*Ecl.*, VIII, 13).

Simili ratione fortasse versus 344, 345 sanare licebit in quibus vox *hamum* a plerisque libris bis repetitur :

> *In qua piscator hamum transponit in undam*
> *Ut cupiens pastum piscis deglutiat hamum.*

Soli CD in altero versu pro *hamum* scribunt *uncum,* neque, ut videtur, satis recte. Vocem enim *uncum* si ex hoc altero versu in priorem transtuleris, hanc alliterationem habebis :

> *...__un__cum transponit in __un__dam.*

Et in lege leoninorum versuum certa indicia sunt ad refingendum textum :

545 *Obsecro mi seni__or__ gladio mea colla secent__ur__* AHBT
secede CD
633 *Si tamen in domin__um__ licit__um__ est irascier ull__um__* ceteri.
ulli B
501 *Non aliter somni requi__em__ gustauerat id__em__* cet
ipse D
800 *Nolo quidem lædas ocul__is__ quia complacet ist__is__*
ista Peiper.
128 *In quo magna potestat__is__ u__is__ extitit hun__is__* A
huius cet.

1386 *Sed uir præcipu**us** nec læu**us** cedere gnar**us***
læuis vel *sæuis* ω

421 *Arte accersit**as** pariter capit arte uolucr**es*** CDBT
accersita AH

1094 *Erubuit domini uult**um** replicabat honor**em*** Dγ
honore α

(ceterum cum *honore* versus non intelligitur).

Vv. 1210 sq., in quibus a ceteris libris voces *uiros* et *uidet* transpositæ sunt, legendi sunt cum D:

*Respiciens post terga uir**os** descendere bin**os***
Quodam colle uidet.

Postremo, nisi forte tanta exemplorum copia tædium parit, nomina quædam propria afferenda sunt, quorum quæ fuerit vera species (quum in aliis libris aliter scribantur), per consonantiarum legem, verisimiliter suspicari licet.

687, *Timo* scripsit D; ceteri vero ***K**imo* et ***Ch**imo,* quod ex insequenti voce ***c**ognomine* rectum esse conjici potest, nisi forte cum Peiper ***K**uno* legendum; 914, *Ger**wit**us adi**uit*** servandum est contra *Gerwicus* quod proposuit Grimm; v. 1008, *Helmnod* præferendum formæ *Heimnod; Nonus **El**euter erat **Hel**mnod;* v. 725, legendum videtur ***Ter**tius en **Wer**hardus abit.*

CAPUT IV.

DE SINGULORUM LIBRORUM LECTIONIBUS.

His positis, singulorum librorum quos supra breviter enumeravimus naturam et pretium attentius expendere necesse est. Quo vero commodius res habeatur, singulos libros siglis suis notabimus et quidem, si placebit, iisdem quibus antea Peiper usus est.

A Caroliruhensis.

C Stuttgardianus.

D Vindobonensis. (D′ Vindobonensis chart.)

L Lipsiensia folia.

H Novaliciensia excerpta.

B Bruxellensis.

b Parisinus.

T Treverensis.

I Engelbergensia folia.

Quos, si perpenderis quæ habeant communia, et quibus locis inter se discrepent, in hæc quatuor genera divides:

α	A C
β	D D′ L
γ	B b T H
δ	I

Littera ω designabimus omnium librorum consensum.

α

Lectionum quæ α generis peculiares sunt pars major manifeste mendosa est, ut vv. 111, *placuit* pro *placauit;* 267, *unum* pro *imum;* 376, *uiri* pro *uestri;* 814, *cliuum* pro *claurum.* Alteram vero invenies partem lectionum, quæ, quum in illis librarii negligentia vel ignorantia minus apertæ sint, eo intentius inspiciendæ. Sic dum v. 324, ceteri *Tandem* scribunt, α *Inde* habet; sic, v. 486, *Sternere* cet., *Cernere* α. Quorum exemplorum quum alterum (*Inde*) metricum vitium contineat, alterum (*Cernere*) intellectui minus congruat, jure inferes bonas lectiones esse *Tandem* et *Sternere;* atque re vera fefellit scriptorem α omissa capitalis littera in exemplari quod ipse describebat. Cf. 742, *Illi* α, *Olli* Dγ. Fefellit præterea in voce *Tandem* compendium quo omissa littera *m* notata erat. In eumdem errorem incidit legens, v. 1094, *honore* pro *honorem,* quod, ut supra diximus, solum rectum. Sæpius quoque compendio fallitur quo *er* indicatur (995, *scidit* pro *sciderat;* pariter 503, A pro *pondere* legit *pondia*).

In v. 548, *innocuus* (cet.) legendum esse pro *an nocuus* (α) jam supra demonstravimus. Semel vocem aliquam ex uno versu in alterum recepit; v. 1136, dum ceteri sic habent: *Utrum sub tuto per densa silentia castro,* α scribit *per uasta silentia; uastis* vero in archetypo erat in insequente v. 1137, ita ut antithesis exstaret verborum *tuta* (*conclusa*) *silentia* et *uastis aruis.*

Neque parvi ponderis erat, ut demonstraremus has lectiones nihil nisi scribendi menda esse, quum contra Peiper illas in ipso archetypo fuisse credat et tanquam peccata ipsius auctoris imperitiæ tribuenda censeat, qu æperitiores

postea β et γ correxerint : qui error alios genuit de ævo et auctoribus librorum, ut infra videbimus.

Quo tempore α ex archetypo descriptus fuerit satis lucide indicant ipsa menda quæ, ut diximus, compendiis et forma litterarum decepti, scriptores fecerunt. Quorum mendorum Holder postquam plura exempla contulit, induxit non sine jure α priore parte X s. exaratum fuisse.

Ex hoc α descripti sunt A et C; quin enim A a C, vel C ab A descripti sint vetat immensa copia vitiorum quæ utrique propria sunt, et quæ, si unus ab altero descriptus fuisset, ab ignarissimo librario servata fuissent.

Interdum tamen, ut nuper vidimus, A discrepat a C et ceteris libris, lectionibus quæ sine dubio ipsa auctoris verba sunt. (Vv. 128, *hunis;* 264, *Affer*(*o*); 922, *dimerserat;* 924, *inertia;* 1020, *animam mox liquerat atque,* etc.)

β

Hoc genus quanquam tres libros complectitur D et D′ et L, de uno D, id est de olim Salisburgensi, sermo faciendus, unde ceteros descriptos esse diximus. Quin vero ipsum D pro primario habeas hujus generis, refragantur innumera vitia quibus scatet, atque ea quidem tam absurda ut, si fieri potest, ignariorem librarium prodant librariis A et C. Attamen remotis mendis, occurrunt tibi nonnullæ lectiones a ceteris libris discrepantes, atque illæ minime ineptæ, ita ut jam non eidem stultissimo librario tribui possint. Ergo nihil inest dubitationis quin eæ in anteriore quodam libro exstiterint, quem D descripsit, et quem β appellabimus. Quarum lectionum β quæ sit natura jam intentius dijudicandum.

Aliæ haud dubie emendatricem manum produnt. Huic nu-

mero adscribendi versus 797, 876, 1438 quos β auctor, quum loci virgiliani illum fugerent, quumque minus intelligeret quid sibi vellent, omnino mutavit: v. 797, *neque enim is teli seu vulneris auctor* (*Æn.*, IX, 747) correxit in: *nec enim telum sine vulnere transit.*

Vv. 876, 877:

> *Sic ait et gremium lacrimis conspersit obortis*[1],
> *Et « longum formose uale » singultibus edit* cet.

mutavit in

> *Sic ait et gemitum lacrimis compressit obortis,*
> *Magnis atque « uale longum » singultibus edit* D;

v. 1438:

> *Heroum turbas transuersa tuendo salutans* cet (cf. *Ecl.*, III, 8)

refinxit in

> *Turbas heroum torueque tuendo salutans.*

Alios locos mutavit, quia quæ præbebat exemplar explicare non poterat, vel in explicandis erraverat. Huic numero adscribendi vv. 83, in quem videtur attraxisse *cœperat* quod est in insequenti versu et pro quo *comperit* legit; 391, ubi *depresserat* legit pro *dempserat* (in eumdem errorem incidit v. 910, etc.; cf. v. 388); v. 1266, metrico vitio infectum (*Walthāri,* dum nusquam alibi nisi *Walthărĭūs*), totum refinxit, ita tamen ut quem præbebat exemplar, et quem ipse refinxit versum, utrumque in libro suo congesserit.

In aliis contra locis, ut monstravimus, β archetypi verba

1. Cf. *Æn.,* III, 492; VI, 868; XI, 41; IV, 30.

servavit. Vide quæ supra de vv. 700, 1036, 1437, 537, 1337, 1210 et 1211 disseruimus. Quibus exemplis alia adjungere necesse est, quæ coarguere possint.

V. 1381, dum a ceteris libris sic refertur :

Qui dum forte manum iam enormiter exeruisset,

D habet :

. . . . *miser exeruisset inermem.*

Utra ambarum recensionum sanior sit, dubius non eris, si antecedentes versus legeris, ubi Waltharius fractum gladium protinus abjecisse narratur, unde ejus « *manus inermis* » fit. In hac vero lectione *miser... inermem* recipienda, β conjecturæ minime indulsisse, comperire poteris, si inverso ordine atque adhibitis compendiis *inermem miser* posueris (*inerm̄. miser*) unde *enormiter* illud ceterorum conjectura fluxit [1].

---

1. V. 1415 haud absimilem quamdam vocem produnt ceteri, nempe *eneruiter :*

Et qui Martis opus tepide atque eneruiter egit.

Atque in hac quoque lectione suspicor ceteros, scriptura deceptos, æstimationem suam secutos esse, quum hæc vox *eneruiter,* ut supra *enormiter,* desideretur apud β. Imo apud hunc mancus est versus :

Et Martis trepidusque timens opus egit...

Vocem vero quæ deest in clausula *eneruiter* esse non posse demonstrat res metrica, cui, si augurandi veniam dederis, aptissime verba *in aruis* congruerent. Cf. 1068 :

Et gelidus sanguis mentem mihi dempsit in aruis I, *in armis* cet.

Vox autem *arvum* sæpius habetur a nostro pro *campus,* champ de bataille, *Schlachtfeld.* Fortasse ergo sic versus legebatur in archetypo :

Et Martis trepidusque timens opus egit *in aruis,*

unde *eneruiter,* similitudine illius *enormiter* adductum.

V. 1007, postquam auctor Guntharii sodales cuspidem fune insertam in Waltharii clipeum misisse narravit, legitur in β:

Nomina iam dicam quæ restim forte trahebant;

qua lectione dum nihil est planius, scribunt ceteri:

Nomina quæ restant edicam iamque trahentum;

verba ergo *quæ restant* manifesta conjectura sunt pro *quæ restim.*

Et in vv. 1389, 90 D vestigia antiquiora, quanquam librarii nescio cujus negligentia adulterata, refert.

Quos versus ceteri sic habent:

Uerum uulnigeram clipeo insertauerat ulnam
Incolomique manu mox eripuit semispatham.

D contra cum metrico vitio:

Uerum in uulnigeram clipeum mox posuit ulnam
Incolomique manu ferus eripuit semispatham.

Emendator, qualiscunque fuerit, si superiorem illam quæ refertur a ceteris lectionem ante oculos habuisset, certissime illam non mutavisset, quia et sermone et re metrica longe absolutior est, quam ea quæ præbetur a β. Videndum ergo nonne lectio β fortasse quid antiquius habeat, ceterorum vero verba conjectura sint.

Ceterorum versum alterum inspicienti tibi, clarum et apertum fit *manu mox* optimam lectionem esse, β vero libri *manu ferus* minus bonam. Quid vero, si *ferus* ad antecedentem versum pertineat? Atque re vera pertinuisse videtur, ita ut talis versiculi decursus esset:

Uerum uulnigeram clipeum posuit ferus ulnam.

In aliis locis callidior fuit β ceteris in legendo : vv. 835, *ignauum ferrum* β, *ignarum* cet. (cf. 1298 *ignauum* ω) ; 890, *totis uiribus* β, *coris* cet. (cf. 989, *totas fundens in brachia uires*) ; 1357, *pungens* β, *pergens* cet., etc. Solus v. 186 servavit β virgilianum atque solus quidem intelligibilem : *miscentur in unum,* dum ceteri habent *miscebat.*

Postremo versus plures adducere liceat in quibus β lectionibus maxima auctoritas affertur consonantiis :

512 ***F**essus **f**ruitur requiete*[1] *β, satis optata fruitur requiete* cet.
627 ***ac oc**ulum β, atque* cet.
691 *Nunc **aut** **c**ommoriar **aut** **c**arum β* (cf. 1279).
uel cet.
1233 *En in propatulo me**c**um **c**onfligito **c**ampo β*
si uis cet.
1337 *Hau**d** ali**t**er **t**umi**d**us quam **d**um uenabi**t**ur ursus β*
numidus cet.
1412 ***P**ost **p**ræbeto β*
Tum cet.
1430 ***gl**adium **gl**omerare β*
agglomerare cet.
1152 *Donec circuiens lu**men** spera reddat a**men**um β*
amatum cet.

Longe abest quin omnem copiam lectionum β contriverimus. Quum vero in hujus generis quæstionibus nihil nisi cum summa moderatione et verecundia asserendum sit, malim in incerto relinquere utrum singulæ quæ restant archetypo tribuendæ, vel β auctoris correctiones sint.

227 *Astitit et uultum reticens intendit herilem* cet.
conspexit β.
771 *Ferratum cornum* cet., *pinum β.*
913 *Siluestrique feræ* cet., *Siluanisque feris β.*

1. Quod D habet *fruiturque quiete* meræ librarii negligentiæ tribuendum videtur.

Hujus generis sunt quoque exempla vv. 83, 236, 860, 1109, 1116, 1174, 1189, 1201, 1433, etc., etc., et vv. 671, *mordet* β, *mordit* cet.; 916, *angustum callem* β, *augustam* cet.; 857, *fames insatiata tenendi* β, *fames insatiatus habendi* cet., quos β integra grammatica refert, dum ceterorum librorum lectiones male latinum sermonem habent.

Postremo et hoc retinendum, desiderari in D tres versus 320, 19, 723, quorum primus et in I deest; vv. 19 et 723 contra, quos ceteri habent, quum ad intelligendam sententiam minime necessarii sint, difficile credam librarii negligentia omissos. Deest et v. 983; hunc vero imprudens præterivit librarius.

γ

Genus librorum quod hac littera notavimus, præter singulas recensiones, quatuor versus habet (99, 204, 257, 661) qui in ceteris libris desiderantur, nec non prologum.

Quæ sit natura lectionum γ si perpenderis, hic et illic errores deprehendes, attamen illos pauciores, ut sunt vv. 319, *redire uideres;* 331, *uteri;* 1184, *arrepta,* 1189, *Dicens;* 1254, *attriuerat;* 1370, *Elatum,* etc. Hæc vero menda imprudentiæ potius quam imperitiæ scriptoris tribuenda esse testantur alii quidam loci ubi γ in legendo solertior fuit quam ceteri; vv. 911, solus *Hamatam* habet, dum ceteri non suspicantes in archetypo capitalem litteram *H* desiderari, alii *Armatam,* alii *Amatam* scripserunt; 1134, *Hesperos* γ, *Hespera* cet. In aliis locis lectiones suas habet, atque eas planas et intelligibiles: vv. 881, *iuuenis clarissime* γ, *fortissime* cet.; 292, *solito quem more* γ, *corde* cet.; 1123, *Tum pugnare potes belli* γ, *Tum bellare* cet.; 932, *caballum* γ, *ca-*

ballo cet.; 1271, *ualebas* γ, *ualeres* cet.; etc., etc. Attamen in v. 917, minus felicem lectionem recepit quam ceteri: *resecaret colla iacentis* cet., *recĭdīsset* γ cum metrico vitio.

Atque hoc quoque mendum levitate auctoris, non inscitia effectum testantur qui illius proprii sunt quatuor versus 99, 204, 257, 661 et versus prologi, qui non solum sermonis et rei metricæ, sed etiam consonantiarum legis peritiorem quemdam ostendunt, ut ex his exemplis judicare potes:

> 204 ***S**ævior in**s**urgit cædemque **au**dacior **au**get.*
> 257 ***U**erum **u**elle meum, solis his æstuo rebus.*
> Prol. 1 *Omnipotens geni**tor**, summæ uirtutis ama**tor**.*

Lectiones vero quæ certiore judicio archetypo tribui possint pauciores invenimus in γ, nisi huic numero v. 529 adscribere velis, ubi γ virgilianum illud *qua turbine torqueat hastam* præbet, dum ceteri *quanta ui;* cf. v. 383.

Ex hoc nunc amisso γ descripti sunt quos habemus libri B b T, et quidem, ut D, ut A et C, a miserrimis librariis. Nihilominus æque ac D ac A et C præbent singuli saniores nonnullas lectiones quam ut his iisdem librariis eæ tribui possint. Sic liber B, v. 84, pro *trepidare pavore* quod habent ceteri, *trepidare tumultu* scribit; 87, pro *exemplum donant* cet., *præbent* B; 124, *talia dicta* cet., *talia fando* B; 228, *porrigit olli* cet., *reddidit olli* B; 774, *transponit* cet., *transmittit* B. Cf. vv. 808, 812, 1097, etc.; v. 383, *celerem* servavit, quod est virgilianum, dum in hujus loco ceteri *tristem* posuerunt; in v. 797 contra, virgilianum locum non videns, poetæ verba vitiavit.

Liber b tam multis mendis scatet, ut vix dignus sit de quo sermo fiat; meliores lectiones nullas habet. Liber T, omnium hujus generis recentissimus, quanquam multis vitiis infectus

est, tamen hic illic locos habet sine dubio a peritiore quodam librario retractatos, vel conjectatos. Qui, exempli gratia, cum mendosum illud 319, *redire uideres,* quod præbebat γ, non intelligeret, mutavit in *cunctos retrahique uideres;* v. 1068, pro *in armis* posuit solus *inerti,* etc. Cf. 1299, 1348. Postremi versus 1450-1456 desunt in T.

Quanquam hic et illic videri potest b ex B, T ex b pendere, horum librorum nullus ab altero descriptus est. Etenim quin b T e saniore B fluxerint, vetant, præter vitia quibus ipse B scatet, deficiens in B versus 444, quem b T habent, et v. 588, qui in b mancus, quem contra B T diverse expleverunt. Quin T ex b fluxerit, refragatur immensa copia vitiorum quibus b maculatus est, et quorum in T nulla vestigia.

H, scilicet librum illum ex quo chronographus Novaliciensis a v. 93 ad 577, excerpta dedit, certissima testimonia monstrant generi γ adnumerandum; namque non solum versum 99 refert, unum e quatuor illis qui γ generis peculiares sunt, sed et aliis nonnullis locis (vv. 98, 158, 200, 221, 228, 232, 293, 303, 304, 468, 513, 532) γ generis lectionibus consentit.

Iδ

I, ut ceteri, vitia sua habet, quibus plane demonstratur hujus generis primarium illum non esse. Ex. gr.:

461 *Atque superba furit glomerare volumina curru* I
cupit *crurum* cet.
466 *Congaudete mecum* I pro *mihi,* cet.

996 omissus est, quanquam necessarius.

Sed et I meliores suas habet lectiones quam ut imperitiori

librario tribuantur. Vv. 30, *nouellam* I, *tenellam* cet.; 253, *meditor* I, *cupio* cet.; 279, *sumtu magnifico* I, *permagno* cet.; etc., etc.

Quarum meliorum lectionum plures videntur esse conjecturæ vel correctiones. Sic dum apud ceteros v. 253 cum certis consonantiis sic habetur :

Iccircoque fugam ***c****upio* ***c****elerare latentem*

meditor , quod recepit I, minus aptum est. Cf. 359, *pressi iacuere sopore,* ubi verbum *iacuere* in pl. stat, dum casus nominativus (*populus*) stat in sing.; 401, *Exosam* pro *Suspectam* (***p****ro****p****erant* ***p****ost*); 1101, quem sic habet: *Altum quis baratrum,* false legit sic : *Quis altum baratrum,* dum textus est *Qui saltu baratrum;* versum 1086, refinxit in *qui fuerant subiecti.*

Attamen nonnullas habet I lectiones quæ archetypi certissima vestigia præbent.

Nomen regis Hunnorum dum apud ceteros *Attila* scribitur, apud solum I *Etcilo* habetur. Si vero singulos versus in quibus hoc nomen citatur intentius perpenderis, compertum habebis in plerisque vocem *Etcilo* vicinarum vocum consonantiæ aptius quam *Attila* congruere. Ex. gr., v. 42, *Et****c****i****l****o sed* ***c****e****l****eres;* 76, *Et****c****i**lo in oc****c****i**duas;* 106, ***Etcilo*** *f****e****-* ***c****erat* ***illos****.*

In v. 243, quem sic I refert

Nec quicquam ***f****raudis uel* ***f****alsi inter****f****ore crede,*

simul et intellectus et consonantia demonstrant antiquius aliquid inesse: *nebulæ* autem quod referunt ceteri pro *fraudis* non solum parum intelligitur quid sibi velit, sed non falli

ipse mihi videor asserendo hanc vocem conjecturam esse e voce *nihilum* quam in antecedente versu supra *fraudis* positam, ceteri forsan glossam quamdam esse crediderunt et in hunc versum attraxerunt.

Et in alio loco videtur I servavisse archetypi verba, quanquam librarii negligentia corrupta. Rex Guntharius, die post pugnam, Waltharium, non jam in castro suo, sed in patenti campo stantem, sic compellat, v. 1230 sq. :

. . . . « *ecce latebræ*
Protenus absistunt, ex quis de more liciscæ
. . . . *latrare solebas.* »

Si tibi spatium quod in postremo versu punctis indicavimus supplendum esset, haud dubitanter hujus fere generis verba adderes : *sine periculo, tanquam e tuto loco.*

Atque re vera quæ præbentur ab I hanc vim habent :

. . . . *ex quis de more liciscæ*
Undique defensus fragilis latrare solebas,

dum ceteri hanc poetæ proposito minus congruentem lectionem habent :

Dentibus infrendens rabidis latrare solebas [1].

---

1. Ne quid mentiar, versus nostri sic ab I, atque stolidissime quidem, referuntur :

. . . . *ecce latebræ*
Undique defensus fragilis de more liciscæ
Sentibus infrendens rabidis latrare solebat (sic),

ita ut utramque lectionem ante oculos habuisse manifesto appareat. Sed quis non videt librarii socordia effectum fuisse ut harum lectionum, quæ tanquam glossæ conjectæ erant, altera in priorem versum, altera in secundum distractæ fuerint ?

CAPUT V.

DE ORDINE ET ÆVO SINGULORUM LIBRORUM, ADHIBITIS SINGULORUM LECTIONIBUS.

De omnium communi fonte x'. Unde venerint singulorum librorum lectiones. Quomodo primigeniæ lectiones in quibusdam libris contra ceteros stantibus servatæ fuerint.

Quæ antecedunt pagellas ut paucis verbis comprehendamus, hanc comperimus esse omnium qui ad nos pervenerunt librorum communem indolem, ut quum plurimis crassissimisque mendis scateant, tum iidem in singulis locis non despiciendas lectiones præbeant.

Quum vero et pessimi illi et hi meliores loci iisdem scriptoribus tribui non possint, manifestum est nullius generis primarios ad nos pervenisse, sed omnes libros nostros a primariis sui generis descriptos esse.

Harum diversarum lectionum discrimine (mendosarum nempe et meliorum) quum non possit fieri quin oculi moveantur, timeo ne temerius egerit Holder, qui, quascunque habet liber D recensiones, inter quas absurdissima menda, unius et ejusdem nescio cujus emendatoris sagacitati tribuit.

Meliorum vero lectionum duo genera esse comperimus: alterum earum quæ archetypi verba referunt, alterum correctionum, interpolationum, conjecturarumque.

Ergo non solum hoc nobis jam monstrandum, quomodo fieri potuerit ut unus liber contra ceteros archetypi verba servaverit, sed etiam alterum illud, emendationes unde fluxerint quæ singulorum scribarum ingenium superant.

Sed antea fortasse hoc planum erit faciendum: generum omnium primarios ex uno et eodem codice descriptos: neque hoc quidem minimi ponderis est.

De hac re autem dubitatio esse non potest inspicienti tibi locos plures, ubi omnes in iisdem vitiis consentiunt. Manifesta autem menda sunt; vv. 264, *Assero* pro *Affer;* 1386, *leuis* vel *seuis* pro *læuus;* 1173, *leuabat* vel *leuiabat* pro *laxabat* (cf. v. 470, ubi *noui* e *uixi* simili confusione litterarum *u* et *x* fluxit; et v. 482, ubi A ex voce *thorax* effecit *thorue*); v. 560, *Inferius* habent omnes pro *Interius;* v. 993, *Quod genus* prorsus absurdum est. Qui errores, quum non possint ipsi auctori tribui, necesse est ut, e describentis cujusdam imprudentia nati, in communem fontem irrepserint, unde patet hunc communem fontem ipsius auctoris exemplar non fuisse.

Cujus rei jam alterum argumentum, atque illum firmissimum quidem, afferemus. Singulorum enim librorum lectiones intentius exploranti tibi non potest quin oculos moveat vis pæne immensa locorum, ubi eosdem versus alii alio ordine reddunt.

Vv. 23, *Et si forte darent dextras* I, *Et dextras si forte darent* cet.; 208, *Et tandem recauo ductor uocat* β, *ductor recauo uocat* cet.; 219, *narrans modicum* B b, *modicum narrans* cet.; 293, *quem bissus compsit* H γ I, *quem compsit bissus* α β; 1011, *Suppleuit rex* α, *rex suppleuit* β γ I; 1421, *Hic tandem Hagano* cet., *Hagano sic tandem* D; 1424, *Inter pocula scurrili* cet., *Pocula inter* D; 1439, *Sed fidei memor antiquæ* cet., *memor antiquæ fidei* B; 1450, *Ter denis populum rexit* cet., *Rexit ter denis populum* B, etc., etc.


In quibusdam locis miscetur ordo verborum ad duos versus pertinentium. Vv. 608, 609, *concedere possit Uitam* γ, *concedere uitam Possit* cet. Cf. 1389-90; 343-44.

Hi loci quidnam demonstrant, nisi in communi fonte totius poematis versiculos, non jam rythmico suo decursu, sed ruptis de industria numeris, transcriptos fuisse.

Ceterum si de hac re ancipitis quid superesse posset, dubitationem omnem tollet versus ille 1381, ubi manifesto præbebat *x' inerm̄. miser exeruisset* pro *miser exeruisset inermem*. Cf. v. 377, *Noscitur hinc* cet., *Noscitur en* I, unde elucere videtur *en* vel *inc* omissa capitali in initio stetisse, et v. 1100, qui, dum apud ceteros sic incipit : *Qui saltu baratrum*, apud I sic habetur : *Altum quis baratrum.*

Conferendi denique loci illi quos supra attulimus, et in quibus, quis fuerit in archetypo ordo, vocum consonantia indicat. Vv. 208, ***Recavo uocat***; 1160, *retin**ens en**sem*, etc., etc.

Ex his omnibus exemplis clarum fit ergo et pæne luce lucidius non solum omnibus primariis unum et idem exemplar



ante oculos fuisse, sed etiam hoc exemplar non jam auctoris

codicem fuisse, unde jure non jam x, quod nomen potius ipsius poetæ librum decet, at x' appellabitur.


Ergo singulorum librorum cognatio præcedenti fortasse schemate exprimenda est.

Nunc ad duplicem illam quæstionem redeundum de servatis archetypi verbis, et de melioribus apud pessimos librarios lectionibus. Atque re vera hæc quæ videtur esse duplex, simplex est quæstio. Etenim (atque hoc maximi refert) non raro fit ut superstites singuli libri in eodem loco plures lectiones vel glossas præbeant: C, v. 502, præter *baculo,* in margine habet *clipeo,* quæ est lectio ceterorum; 563, *ñre l'tantæ;* 672, *eamus l'agamus;* 1036, *ædem .i. uaginam;* A 523, *cierent l'mouerent;* B 557, *ridens ul', dicens;* 1207, *inire fugam l'uiam;* 1211, *sine more furentes* et *meantes;* 1372, *fabricata* et in marg. *uel fabrefacta;* b 144, *compleuerat* et *impleuerat;* 596, præter vocem *dubitamus* quam cum B communem habet, *trepidamus* addidit, quæ est lectio ceterorum. Præterea sæpius obtingit ut communes lectiones habeant duo libri stantes contra tertium ejusdem ordinis, ut v. 1376, *Creuit* bT, *uidit* B cum ceteris; 1415 in utroque bT *est* omissum. Ex his vero exemplis quidnam apparet nisi α et γ, fontes horum librorum, glossis et variis lectionibus refertos fuisse, quarum alii librarii alias sibi vindicaverint, dum alii duplices lectiones nobis indulserint? Quidquid vero de librorum α et γ generibus verum, verum est quoque de β et δ generibus, quanquam horum generum unum tantum exemplar ad nos pervenit.

Ergo jure quis conjiciat et in illis locis ubi unus vel alter librorum nostrorum discrepantem a ceteris lectionem præbet, atque eam quidem librarii ingenium superantem, fuisse in primario duplicem lectionem. Quomodo enim fieri possit ut, ex. gr., unus et idem imperitus scriba C, qui v. 1264 *affa-*

miria scribit pro *affamina,* 1220 *pericli* pro *pericla* meliores illas lectiones excogitaverit, 42 *mox illuc flectit habenas* pro *mox huc deflectit habenas;* 1075, *Te rogo per superos* pro falsa illa *Deprecor per superos* A ?

Quid autem, si non solum singula genera sed ipse generum fons communis variis lectionibus et glossis refertus fuisset! V. 534, librorum α alter A *iubebat* refert, alter C *monebat,* unde jure quis conjiciat utramque lectionem in α fuisse. Quum vero *iubebat* non solum in A, sed etiam in D, quum *monebat* non solum in C reperiatur, sed etiam in H B b T, non dubitatio esse potest quin utraque lectio in omnium communi fonte fuerit, scilicet in x'. Quod ut clarius oculos perstringat, hoc schemate exprimimus.



Cum hoc exemplo coarguere possunt nonnulli alii loci: 71, *pacem* α D, *dextram* uel *dextras* γ I; 109, *illos* A H, *ambos* cet; 344, *hamum* A γ, *uncum* C D; 358, *sepultus* C T, *solutus* ceteri; 545, *secentur* A H B b T, *secede* C D; 745, *corpore* A H B b T, *pectore* C D; 911, *Armatam* C, *Armaticam* D, *Amatam* A, *Hamatam* γ; 1160, *hac cum uoce* C D, *hac uoce* A, *sic uoce* B, *hac sic uoce* I.

Neque quidquam manifestius additas illas et interpositas lectiones ostendit, quam errores in quos singuli librarii in quibusdam locis inciderunt. Etenim non semel fit ut non satis discernentes quæ verba ad unam lectionem, quæve ad alteram pertinerent, farraginem quamdam efficerent utriusque, imo plurium lectionum.

V. 1354, cum in communi fonte cum his lectionibus referretur :

Ecce tuas cito prægrandes ostendito uires D
. . . . *scio* . . . . . *in corpore* A

γ mixta utraque lectione scribit absurdius :

. . . . *scio* . . . . . *ostendito.*

V. 304 a singulis libris nostris sic refertur :

Postque epulas assumpta quies mensæque remotæ D
Postquam epulis . . . . A
Postque epulis C
Postquam epulis depulsa fames sublataque mensa H γ I.

Quibus cum lectionibus si virgilianos versus contuleris :

Postquam exempta fames epulis mensæque remotæ (Æn. I, 216)
Postquam prima quies epulis . . . . (Æn. I, 723)

manifesto tibi apparebit, librariis fuisse ante oculos utrumque virgilianum locum neque fortasse satis lucide distinctum, ita ut ex utroque quisque quod sibi placuerit assereret, alii *quies,* alii *fames;* imo α D ex altero *assumpta* (= *exempta*), ex altero *quies* receperunt atque utrumque conjunxerunt. V. 1075, non est dubium quin traderentur duæ lectiones, altera *De-*

precor ob superos, altera *Te rogo per superos,* quas A in unam, vitiosam illam, conflavit *Deprecor per superos.* Cf. quæ supra diximus de lectione I, 1230 sq.

His positis, jam clarescit quomodo librorum nunc unus, nunc plures, contra ceteros poetæ verba servaverint. Sic v. 71, dum αβ *pacem det* scribunt, retulerunt γI antiquius illud ***dextram det;*** v. 1037, dum ceteri glossas recipiunt postea ab emendatoribus additas *ensem, ædem, uaginam,* β primigenium *uluam* servavit, etc.

Sic in A per α, servatas habemus laudatas illas lectiones (129 *hunis,* 264 *Affer,* 922 *dimerserat,* 924 *inertia;* 1024, *animam mox liquerat,* etc.); eas enim α sine dubio tanquam glossas præter mendosas illas *huius, Assero,* etc., in margine adscripserat, dum β, γ, δ necnon C solas mendosas receperunt. Neque enim spernebant librarii, quum in explanandis verbis dubii esset aliquid, plures mores legendi vel scribendi referre (sic v. 144, b simul habet *compleuerat* et *impleuerat*).

Sic denique vis omnis lectionum illarum quas supra primigenias esse comperimus ab uno vel altero libro servari potuit. Quæ cum non sine tædio hoc loco rursus transcriberentur, licet singulas ipse iterum inspicias, si libuerit.

Ceterum pars quædam meliorum lectionum inde venit quod in explanandis singulis locis alii librarii aliis callidiores sunt. Cf. citatos vv. 324, *Tandem* βγ, *Inde* α; 486, *Sternere* βγ, *cernere* α; 548, *innocuus* βγ, *an nocuus* α.

At librarii primariorum alia etiam ope adjuvabantur, nempe ope memoriæ. Quod manifesto his quæ sequuntur exemplis probatur, quanquam in eis non jam vera, sed falsa memoria scribentibus subministrabat.

V. 36, pro lectione ceterorum: *Filia huic tantum fuit unica,* scribit β: *Unica nata fuit huic tantum.* Hujus vero lec-

tionis priora verba manifesto ad v. 62 pertinent: *Unica nata mihi.* Sic etiam, v. 718 quum talis est apud ceteros:

Qui caput orantis proprio mucrone recidens

B et b *attollens* referunt pro *orantis*, quod solum intelligibile est; hoc vero falsum *attollens*, quod postea correxit b in *orantis*, haud dubie γ e v. 535 recepit, ubi legitur: *Qui caput attollens;* receptum vero delere neglexit, quanquam veram lectionem *orantis* postea addidit; falsa enim non delebantur sed lineola subducta notabantur.

V. 1443 dum ceteri omnes scribunt: *iterato coactum,* α ponit *iterato cruentum,* quæ est clausula v. 1367.

V. 773, dum in ceteris libris sic refertur:

Waltharius contra respondit cuspide missa,

A scribit

. . . . *fidenter protulit ista.*

Hanc lectionem si cum v. 653 contuleris qui apud omnes talis est:

Tum iuvenis constans responsum protulit istud,

non poterit fieri quin similitudo utriusque oculos tibi moveat. Atque hoc quoque certum videtur lectionem quam affert A, quum jam non integra translata sit e v. 653, sed non inepte mutata, ipsius librarii A ingenium superare, atque ideo pro duplici aliqua auctoris lectione habendam esse.

Ergo scribenti auctori α, postquam posuerat verba *Wal-*

tharius contra, succurrit in mentem v. 653, neque vero talis qualis nunc ab omnibus libris refertur, sed talis, qualem illum equidem in principio fuisse suspicor :

Tum iuuenis contra fidenter protulit ista,

id est leonino concentu ornatum. Postea vero in eodem v. 653, vox *contra* conjectura mutata est in *constans,* et priori illi lectioni *fidenter protulit ista,* altera adjecta *responsum protulit istud.*

Qui loci quidnam vero demonstrant, nisi librariis primariorum singulos versiculos poematis in memoria fuisse ? Unde forsan explanari potest quomodo solus α attulerit meliores illas lectiones (*hunis, Affer, dimerserat, inertia*) quæ postea in A transierunt. Sic quoque β memoria adjutum censeo, quum obscurius illud *inerm̄. miser,* quod ceteros postea fefellit, recte restitueret in *miser... inermem,* etc., etc.

Quocumque vero modo res ista se habeat, illud jam compertum habemus, quod plurimum refert, nonnullis correctionibus, interpositionibus, additisque verbis interlitum fuisse codicem nostrum x'. Quorum locorum ut unum vel alterum acrius inspiciamus operæ pretium est. V. 98 ab α sic refertur :

Ac ueluti proprios nutrire iubebat heredes α ;

pro *proprios* D habet *pueros ;* pro *heredes* γ *alumnos* posuit. Vitium vero quod inest in *hĕrēdēs* ne auctoris imperitiæ tribuas vetat versus 38 : *Debuit hæc hērēs,* quo planum efficitur vocis *hērēs* veram mensuram eum non fugisse. Ergo non ab illo vox *heredes* in clausula versus posita est, sed ab emendatore quodam, qui, quum inter lineas spatium deficeret,

hanc in margine posuit: quem morem librariorum fuisse docemur vv. 502, ubi C *baculo;* 624, ubi idem *longos;* 588, ubi B *tandem* in margine reposuerunt. *Heredes* autem ab hoc retractatore ponebatur pro alio verbo quod solus D refert, nempe *pueros,* ita ut talis evaderet versus:

Et ueluti heredes proprios nutrire iubebat.

Itaque librariorum nostrorum alii, metricum vitium non suspicantes, *heredes* servaverunt, tanquam verba poetæ, γ contra mutavit; omnes vero hoc decepti fuerunt quod *heredes* pro versus clausula habuerunt.

Primigeniam vero lectionem talem fuisse e libro β suspicari licet:

*Ac ueluti **proprios pueros** nutrire iubebat.*

Neque minus dignus est quem diligentius inspiciamus v. 1396:

Hoc tali facto dirimuntur prœlia dira D
Tali negotio . . . . . . facto α
Tali tunc ergo . . . . B

Lectiones (*H*) *oc* β et (*T*) *unc* B ex uno et eodem verbo in ineunte versu stante, atque omissa quidem capitali littera, fluxisse videntur, ita ut lectio β primigenia fuisse appareat:

*oc tali facto **dir**imuntur prœlia **dir**a.*

Postea retractator aliquis ante *hoc* in margine adjecit vocem *ergo* quæ, compendio correpta, voci *ego* haud absimilis esse poterat; quum vero eadem in initio versus staret,

capitalem N quam omissam suspicabantur librarii, addiderunt, ita ut aliquid voci *Negotio* non absimile evaderet, quod recepit α. Scriptor γ contra eodem errore non delusus *Tali tunc ergo* scripsit, quod B servavit.

Neque semel fiebat ut singuli librarii in ipso x', in illis quidem locis, qui minus lucidi videbantur, conjecturas suas ponerent; quod plane apparet in v. 1381, quem ab auctore talem formatum monstravimus :

Qui dum forte manum miser exeruisset inermem.

Voces vero *inerm̄. miser* quum essent in communi fonte ante *exeruisset* positæ, excogitavit librarius vel retractator aliquis *enormiter*, nec solum legit et in suum librum recepit, sed ipsum codicem correxit, ita ut postea describentibus librariis α et γ nihil nisi *enormiter* appareret.

Tale aliquid evenit v. 1170, ubi α γ falsum illud *Uinciit* referunt, dum D recte *Uinxit equi. Uinciit* vero unde veniat lucidum tibi fiet, si glossam legeris quæ pro insequenti verbo *equi* postea intrusa fuit, nempe *hij* A T, *hi* cet.; ego vero addo *ii*. Quod quum positum fuerit supra *Uincit* vel *Uinxit*, librarii non suspicantes pronomen esse, ipsi verbo *Uincit* addiderunt.

Codicem ergo nostrum x' retractatum fuisse unaquæque pagella clamat, nec solum retractatum, sed etiam novis versibus auctum. Librum γ diximus quatuor versibus et prologo exornatum, qui in ceteris libris desiderantur : desiderantur in I et β v. 320, in β 19, 723; quos, cum ad intelligendum locum minime necessarii sint, vix credi potest librarii imprudentia neglectos fuisse.

Quid autem si ex his et correctionibus et lituris et additis locis singulorum generum ævum erui possit? Revocanda in


memoriam exempla aliqua quæ nuper inspeximus. V. 1381, *miser exeruisset inermem* β veram lectionem esse monstravimus, dum *enormiter* α γ non solum conjectura est utriusque, sed intrusum vitium. Quidnam hic locus demonstrat, nisi β antiquiorem esse α γ? Sic etiam 1389, 1396, argumento sunt eo tempore quo β descriptus fuit, correctiones conjecturasque *insertauerat* (1389), *ergo tum, negotio* (1396) nondum adjectas fuisse. V. 98 contra, *heredes,* quod præbent α β, in codice x' fuisse comperimus, dum *alumnos* auctoris γ emendatio est, unde apparet β α antiquiores esse γ.

Ergo quum β α antiquiores sint quam γ, β vero antiquior quam α γ, hunc ordinem habes β α γ.

Quem ordinem firmant in aliis libris desiderati, in aliis additi versus. Etenim β α quatuor versibus carentes et prologo quos refert γ, antiquiores sunt quam γ; β, quum pluribus versibus careat et imprimis versu 320, qui pariter deest in I, antiquior est quam α.

Quod ad I attinet, in quo vestigia archetypi contineri supra vidimus, dignus est quem minus fastidias quam Peiper, qui, quum constet librum hunc et cum β aliquas et cum γ complures communes lectiones habere, contextum illum appellat « descriptum ex γ, non raro lectionibus β familiæ inmutatum ». Si vero I e γ descriptus est, vix crediderim fieri potuisse ut illos quatuor versus et prologum consultato neglexerit? Lucet ergo quas habet cum β et γ communes lectiones fuisse in x' adjectas, ut supra monstravimus, ipsum vero I tempore quodam descriptum fuisse, quo x' emendationes quasdam β et γ jam passus erat, quo vero versus recensionis γ proprii nondum additi fuerant. Postremo vero, quum in I desit versus 320 qui deest et in β, quem habent α γ, clarum fit I antiquiorem esse α γ, unde hunc ordinem habes β δ α γ.

Ergo schema illud quod supra delineavimus in tale mutandum est.



CAPUT VI.

DE AUCTORE SIVE POTIUS DE AUCTORIBUS.

Nobis ergo compertum est codicem quemdam extitisse *x'*, descriptum e codice auctoris *x*, non sine mendis quidem atque ruptis numeris versuum, eumdem vero, progrediente ætate nonnullis locis emendatum et auctum, et lituris glossisque plenum. Hunc descripserunt auctores β δ α γ, seligentes suas quisque lectiones, neque descripserunt inmutatum quidem, sed, quum essent homines latini sermonis et rei metricæ minime imperiti, alios locos, qui illis minus absoluti videbantur, correxerunt, alios quos explicare non poterant, conjecturis restituerunt, præsertim β et γ.

Jam vero inquirendum est quisnam auctor sit carminis et, nisi res abstrusior, quinam viri tam sæpe retractato libro operam dederint, quinam postremo fuerint auctores β δ α γ.

De auctore ipso duo exstant testimonia, inter se, ut quidem videtur, pugnantia.

Alterum est in prologo, qui, ut diximus, generi γ præpositus est et in quo Géraldus « pontifici summo » Erchambaldo carmen dedicat, orans ut « quæ illi de larga cura promere decreverit munera accipiat ». Alterum vero testimonium est in libro « Casibus Sancti Galli » ab Ekkehardo IV scripto, ubi hæc de monacho quodam ejus cœnobii, Ekkehardo primo nomine, leguntur:

« Scripsit et in scolis metrice magistro, vacillanter quidem, quia in affectione, non in habitu erat puer, vitam Waltharii manu fortis, quam Magontiæ positi, Aribone ar-

chiepiscopo jubente, pro posse et nosse nostro correximus; barbaries enim et idiomata ejus Teutonem adhuc affectantem repente latinum fieri non patiuntur. Unde male docere solent discipulos semimagistri dicentes: Videte quomodo disertissime coram Teutone aliquo proloqui debeat, et eadem serie in latinum verba vertite. Quæ deceptio Ekkehardum in opere illo adhuc puerum fefellit, sed postea non sic, ut in lidio charromanico « Mole ut vincendi », « Ipse quoque opponam[1]».

His positis, quum non ita inter se discrepent libri nostri, ut duos *Walthariοs* ex illis eruere possis, hæc tibi optio dabitur, *Waltharius* quem habemus, utrum revera, ut prologus indicare videtur, Geraldi opus sit, amisso quidem Ekkehardi carmine, an nescio quo errore aut quo omnino modo, postquam ab Ekkehardo scriptus, Geraldo tributus fuerit.

Qui nodus quo commodius expediatur, ante omnia circumspiciendum quis Ekkehardus fuerit, quis Geraldus; quod jam minus difficile, quum sæpius utrumque in *Casibus* Ekkehardus IV commemoraverit.

Ekkehardum primum[2] 14 Januarii 973 obiisse constat; quo anno natus sit ambiguum; sed quum ab anno 953 majoris decani officio fungeretur (quod non nisi maturioribus hominibus tribuebatur), vix credibile est illum post annum 910 natum esse, unde conjicere licet *Walthariium* inter annos 920-930 ab illo scriptum fuisse. Scripsit etiam nonnullos hymnos, sequentias et antiphonas, nec non carmen de sorore patrueli, Rachilda quadam, quæ, quum religiosam disciplinam amplexa esset, florente ætate obiit.

1. *Mon. Germ.*, II, 117. Cf. San-Marte, *Beilage*, I, A et E.

2. Cf. Scheffel u. Holder, p. 121 sq. — San-Marte, p. 3sq. et *Beilage*, I, A.

Ceterum refert historiographus idem (quod, quanquam ad propositum nostrum minus pertinet, notandum tamen visum est), præclarissimi ingenii et insignis caritatis illum fuisse, atque ita omnibus dilectum[1], ut a vivo abbati Kraloh (942-958) designaretur ut qui post ipsius mortem abbatiæ præficeretur, atque abbas quidem nominatus fuisset, nisi, quodam die, equo dejectus, fracto crure, claudus factus fuisset[2].

Quod ad Geraldum attinet, plurium hujus nominis monachorum e medio ævo notitia ad nos pervenit.

In catalogo codd. mss. bibl. nat. Parisinæ tom. 4, 1744, p. 532, Geraldus noster « floriacensis, ut videtur, monachus » perhibetur; atque in ipso codice posteriore manu hæc leguntur adscripta : « S. Géraud, moine de Fleuri, comme il semble ». Atque re vera monachum quemdam, hoc nomen habentem, in hoc cœnobio quondam degisse contra testimonium quod reperitur *Hist. litt. Franciæ VI*, 438, probat locus ille in Vaticano libro regis Christinæ, ubi « Translatio corporis beati Benedicti et Scolasticæ sororis ejus, versibus edita » domino Giraldo Floriacensi adscribitur. Quum tamen supra satius exposuerimus omnia in nostro poemate ad germanicas fabulas germanicosque mores pertinere, jure miraberis, poetam ad Ligerem natum, tam alienam materiam tractasse.

Geraldus ergo noster alibi inquirendus; neque tam longe abest. In *Casibus* enim sæpius Ekkehardi I nomini adjunctum est nomen Geraldi (Gerhaldus, Keraldus) qui « ab adolescentia usque ad senilem vitæ finem semper scholarum

---

1. Vide Epitaphium in honorem E. I. ab E. IV compositum, Scheffel u. Holder, p. 126.

2. *Mon Germ.*, 120 sq. Quatuor hymnos ab illo compositos reperies manuscriptos in codd. Sangall. 375, 376, 380, 381. Cf. Mone, *Lateinische Hymnen*, III, 227, 256 ; Kehrein, *Lateinische Sequenzen des Mittelalters*, n. 138, 350, 513, 539 ; San-Marte, *Beilage*, I, E, 166 sq.

magister fuit[1] ». Hunc *Casus* iidem cum Ekkehardo et Notkero Labeone consuetudine et amicitia conjunctum referunt. Quanta auctoritate valeret apud fratres cœnobii propter virtutes et ingenium ex his verbis cognosci potest, quæ nomini illius in *Casibus* adjecta sunt : « prædicator altissime apertus ....propheta mellitissimus.... capacissimum sancti Spiritus dolium[2] ». Hic ergo Geraldus, ut videtur, noster est. Hic ad episcopum Erchambaldum poema ab Ekkehardo compositum misit.

Attamen fortasse miraberis quod vir talis alieni operis gloriam dolose in se rapere conatus sit. Ante omnia diligentius legendus est prologus, cavendumque ne plus ponderis duobus illis versibus tribuatur :

Præsul sancte Dei, nunc accipe munera servi
Quæ tibi decrevit de larga promere cura
. . . . . Geraldus fidelis alumnus.

Quæ verba, quum manifesto significent opus quoddam Erchambaldo dedicari sæpius expolitum, non tamen inde, nisi temerius, quisquam conjicere potest Geraldum velle hujus operis auctorem haberi. Ceterum hæc verba *Poesis Geraldi de Gualtario* quæ in libro B prologo præfixa sunt, ad solum prologum manifesto pertinent, quum post prologum in b novus titulus inscriptus sit : *Versus de uualtario;* item in T : *Liber Waltarij.*

Exemplum quoddam a *Casibus* sumere nobis liceat, a re haud sane alienum. Notker Labeo, magister scholarum in Sancti Galli cœnobio, quum discipulis tanquam « debitum diei magistro vitam Sancti Othmari in rythmos vertendam

---

1. *Mon. Germ.,* II, 114 et 136.
2. *Mon. Germ.,* II, 136 sq. et 57. In Codice 95 bibl. Sangal. continetur hymnus a Geraldo compositus : « Summi largitor præmii ».

dedisset », Ekkehardus IV, qui tunc inter discipulos erat, materiam leoninis versibus tractavit; et quum multos post annos, quæcumque ipse puer scripsisset in *Libro Benedictionum*[1] colligere vellet, reperit debita sua non jam in suis, sed (quod notandum est) in magistri Notkeri chartis. Ceterum in margine primi folii hæc verba notavit : « Dictamen debitum magistro; hoc et cetera quæ scripsi ipse scribi jussit (Notker) in cartis suis, in quibus ea post inveniens in hac sceda pro locis ascripsi, ut juvenes nostros in id ipsum adortarier[2]. »

Neque temere, nisi fallor, conjici potest simili modo magistrum scholarum Geraldum in chartis suis, vel ut rectius dicatur, in scholarum chartis *Walthariuni* tenuisse. Ipsum autem Geraldum, ut complures voluerunt, Ekkehardi magistrum illum metricæ fuisse de quo in *Casibus* sermo fit, dubium est, quum paucis vix annis Geraldus Ekkehardo major fuerit. Ceterum, si verba *Casuum* intentius legeris, non de « magistro scholarum » sermonem haberi videbis, sed de « semimagistro » sane quodam, cui docendæ rei metricæ cura delegata erat. Imo in argumentum advocari possunt complures loci mendosi quos Geraldus recepit (ex. gr. *enormiter* pro *inermem miser*, etc.), quos hercle non recepisset, si ipso magistro *Waltharius* compositus fuisset.

A quo rei metricæ magistro, quicunque ille est, non dubitari potest carmen retractatum fuisse, etiam antequam in hoc libro quem x' vocamus transcriptus fuerit. Quale enim in hoc libro carmen refertur, quanquam neque in sermone latino neque in re metrica omnino absolutum est, attamen longe abest ut in eo barbaricum illud carmen habeamus

1. Cod. 393 Bibl. Sangall.

2. *Mon. Germ.*, II, 54 sq. Hattemer, *Denkmale des Mittelalters*, II, 4 et 519. Scheffel u. Holder, p. 131.

de quo in *Casibus* sermo fit, vacillanter quidem a puero compositum atque ita teutonicis idiomatibus plenum, ut sermo nonnisi germanicorum verborum series videatur, in latinum versorum. Lectiones enim et singuli versus quos β δ α γ addiderunt tam parvi momenti sunt, ut ipsius carminis indolem parum immutent, remotisque levioribus horum correctionibus, opus quoddam superstet non pueri sed viri cujusdam, ut supra diximus, maturioris atque ejusdem in latinis litteris versatissimi magistri ingenium prodens. Huic ergo magistro censemus non solum plerosque virgilianos illos locos, quibus carmen undique abundat, esse tribuendos, sed etiam comptiorem sermonem, atque ornamenta illa, quæ in vocum concentu, et alliterationibus et versuum decursu versantur et quorum supra immensam copiam attulimus. Quis vero hic vir fuerit neque compertum neque compertu facile est. Illo enim tempore constat tantum fuisse in cœnobio Sancti Galli latinarum litterarum honorem, ut omnes maturiores viri digni fuerint, qui opus tale susciperent.

Quoquo modo res se habeat, hoc saltem certum videtur hunc *Waltharium*, ita a magistro retractatum, librum quemdam fuisse in scholis usitatum, « quo juvenes magistri adhortarentur ». Imo, quum in x' versuum numeros ruptos, et nonnullis locis archetypi verbis synonymos adjectos esse compertum sit, denique quum plures versus manci sint, fortasse non errabis si conjeceris hunc fuisse proprium magistri codicem, qui discipulis suis, ut adhuc nostris fit diebus, dissolutos et mancos versus dictabat, quos in metrum restituerent et explerent.

Codicem vero x' non una manu sed pluribus retractatum testantur loci illi mendosi de quibus supra dictum est, 1381 *enormiter,* 1396 *negotio,* etc., e quibus conjici potest codicem x', mortuo magistro illo qui primus Ekkehardi opus cor-

rexit, in alterius magistri manus transiisse, qui alios locos glossis auxerit, alios vero quos minus intelligeret, refinxerit.

Hunc alterum magistrum (quanquam in hac re conjectura levior) suspicor fuisse Victorem illum quem abbas Kraloh, postquam ei diutius gallenses scholas commisisset, oculis orbari jussit. Hunc enim Victorem neminem fugit ab episcopo Erchambaldo non solum propter ærumnam, sed etiam propter scientiam, Argentoratum arcessitum esse, ibique docendis pueris præfectum; unde liquidum fieri videtur cur *Waltharium* ad. Erchambaldum miserit magister scholarum Geraldus, utpote opus quod sæpius Victor celebraverit, et cui perpoliendo ipse operam dedisse gloriatus fuerit. Cur non Ekkehardus miserit ex hoc intelligi potest quod carmen non jam illius sed plurium hominum opus, et, ut ita dicam, cœnobii res propria facta erat, ubi omnia communia esse debent[1].

His explanatis jam et alterius illius nodi explicationem habemus qui in duobus locis inter se discrepantibus contineri videtur : quorum unus, in fine carminis, auctorem etiam tum adolescentulum[2], alter in prologo, quanquam minus in-

---

1. Erchambaldus quis fuerit, sæpius agitatum. Hujus enim nominis plures sive pontifices, sive abbates exstiterunt. Ut jam episcopum Turonensem circa a. 986 degentem, ut Erchambaldum a. 1044 Burdigalæ archiepiscopum factum (quibus, quum in Gallia degerent, nihil cum proposito nostro commune esse potest) et alios minus conspicuos prætereamus, floruit Maguntiæ ineunte XI s. Erchambaldus quidam, a. 1011, post Willigem episcopus factus. Hic vero quominus noster sit refragatur ævum ipsum quo degebat. Geraldi Erchambaldus nemo alius esse potest quam Argentinus ille, qui a. 937 aut 938 Argentorati natus, a. 965 episcopus factus est et a. 991 obiit. Ergo eodem tempore vixit quo Geraldus et Ekkehardus primus. Cf. *Mon. Germ.*, II, 116. Scheffel u. Holder, p. 132 sq., 136 sq. Schœpflin, *Alsat. diplom.*, I, 154, 156, 159, 162. Gfrörer, *Gregorius VII*, VII, p. 260. Wimpheling, *Catalogus episcop. Argentin.*, p. 37. L'abbé Grandidier, *Hist. de l'Église et des Évêques-princes de Strasbourg*, lib. VII, t. I. Colmar, 1865. Carmina quædam ab Erchambaldo composita dederunt Scheffel u. Holder, p. 137 sq.

2. Hæc quicumque leges stridenti ignosce cicadæ,
Raucellam nec adhuc vocem perpende, sed ævum
Utpote quæ nidis nondum petit alta relictis (v. 1453-56).

telligibilis, senio fessum et termino vitæ propiorem esse indicat[1]. Adolescentulus enim erat Ekkehardus, quum *Waltharium* composuit, senex autem Geraldus, quum librum ad Erchambaldum misit.

Quod si jam ad auctores β δ α γ convertimur, qui e libro x' libros suos intra paucos annos descripserunt (compositum enim carmen videtur c. a. 920 vel 930, Geraldus vero, cujus liber omnium novissimus, intra 970 et 975 decessit), in his quoque auctoribus semimagistros quosdam habemus, vel magistros, rei metricæ peritissimos. Ut Geraldus librum suum pro Argentina schola, sic alii pro aliis scholis suos composuerunt : α descriptum esse pro Emmeramensi cœnobio vix dubium[2].

Quorum magistrorum nomina si quis requirere velit, frustra consumat operam. Nihilominus de libro β pauca addere necesse est. Qui cum a nonnullis commentatoribus Ekkehardo IV tributus sit, eidem nempe qui se *Waltharium* Ekkehardi I, jubente Aribone, Maguntiæ positum correxisse profitetur, timeo ne illi quibus hoc placuit, conjectura aberraverint. Librum enim β, si rem memoria tenes, omnium antiquissimum esse comperimus. Quum vero α, qui est libro β recentior, priore parte X sæculi descriptum esse constet, Ekkehardus IV, qui circiter a. 980 natus, circa 1060 obiisse videtur, librum β descripsisse non potest : inde liquet quam vano incepto summam operam atque summam eruditionem impenderit Peiper, qui non solum hujus libri β auctorem esse Ekkehardum IV demonstrare conatus est, sed etiam novitate rei illectus, Geraldum quemdam alterum eruisse sibi visus est, qui quum eodem

1. Perlectus longævi stringit in ampla diei (v. 20). Quæ est Peiperi recensio.
Flexus longævi dum....... (Grimm).
Perlectus longe vim........ (Scheffel u. Holder).

2. Cf. Scheffel et Holder, 144 et 145.

tempore quo Ekkehardus Maguntiæ degeret, nescio quo dolo gloriam carminis sibi sumpserit.

Ne tamen unius e viris illis qui carmini nostro operam dederunt, memoriam spernere videamur, adjicere liceat hic pauciora de Ekkehardo IV. Arcessitus est a. 1020 ab Aribone episcopo Maguntiam, ubi scholarum magistri munere diutius functus est. Atque fuit ille re vera homo non minimæ scientiæ et quanquam ipsius sermo pedestris, ut *Sancti Galli Casus* testantur, non omnino a barbarie liber est, poetica tamen ejus quæ supersunt opuscula, scriptorem ornatiorem demonstrant, et veterum poetarum carminibus imbutum. Postea quum a. 1031 Aribo mortuus esset, Sancti Galli cœnobium repetivit, ubi inceptos a Ratperto *Casus* usque ad annum 975 persecutus est. Vide carmina ejus a Dümmler in *Haupt's Zeitschrift* N. F. II, 1869, p. 1-73, edita, inter quæ sunt « Epistola ad Immonem », qua « ars poetica » quædam continetur, necnon leonini versus, quos, jubente abbate Purchardo II, ad ornandas picturas quæ Vitam S^{ti} Galli illustrabant, composuerat, et alii versus, jubente Aribone, « ad picturas domus domini Mogontiæ veteris Testamenti et novi » scripti. Cf. Scheffel u. Holder, p. 128 sq. et 141. — De Ekkardi IV scriptis cf. Hattemer, *Denkmale des Mittelalters,* I, 255, 339. F. Keller, *Mittheilungen der antiquarischen Gesellschaft* in Zürich, 1847, III, 97-121.

Ut postremo de libris loquamur qui ad nos pervenerunt, illos omnes, non jam ut primarios β δ α γ, a doctioribus viris, sed ab ignarissimis scribis exaratos fuisse iterum atque iterum diximus; descripti vero fuerunt sine dubio in iisdem scholis pro quibus primarii compositi fuerant. Attamen fortasse aliquis jure mirabitur quod, primariis omnibus intra 930 et 970 descriptis, qui ex illis fluxerint libri, multo post, neque ante XI, XII, XIIIque sæculum exarati fuerint; imo liber T

ad XV, nisi ad XVI, pertinet. Nihilominus credendum est alios libros quorum jacturam passi simus, ante XI sæculum necnon intra XI-XV s. descriptos fuisse, quum ii qui supersunt libri testentur quantus per omnes regiones et per longiora tempora carminis nostri laus fuerit.

CAPUT VII.

CONCLUSIO.

Ut vero jam conclusionis summam faciamus, poema nostrum, quanquam latinis versibus compositum, quanti liceat in germanicis litteris, ex hoc æstimari potest, quod in eo una ex antiquissimis illis fabulis servata, quarum pars major ætate deleta est.

Quamobrem non est cur librum nostrum trunco illi carmini postponamus, quod sub titulo *Hildebrandslied*, tanquam fragmentum quoddam e naufragio ad nos pervenit. Immensam enim ante VIII et IX sæculum floruisse copiam carminum, quæ, quum res præclare gestas celebrarent, in cantorum ore hominumque memoria versarentur, undique suppeditant testimonia.

Quominus vero hæc carmina ad nos pervenerint neminem fugit impedimento fuisse præsertim religionem christianam, cujus ministri ethnicam poesim non solum aversabantur, sed etiam summopere obruere conabantur. Optime ergo de litteris meritus est Carolus Magnus, qui a tam detestando more recedens, primus reliquias « barbaræ poeseos », ut ait Eginhart, « scribi memoriæque mandari jussit », atque omnibus veterum amatoribus præfuit. Hujus ergo exemplo accensi monachi, præsertim nono et decimo sæculo, quæcunque poterant vulgaria poemata describebant. Catalogus a. 821 a Reginberto quodam conscriptus, testatur in uno Reichenaugiensi cœnobio illo tempore « duodecim carmina theodiscæ

linguæ formata collecta fuisse, necnon carmina diversa (sine dubio minora) ad discendam theodiscam linguam[1] ».

Neque in ullo cœnobio germanica lingua atque poesis majore in honore fuit quam in nostro monasterio Sangallensi. Hic quantum omni tempore bonæ artes et scientiæ et religio floruerint, e magna copia codicum discere poteris, qui ad nos transmissi, in bibliotheca episcopali servantur. Hic optimi magistri « senatus reipublicæ sanctissimus[2] », noctes atque dies omnium doctrinarum meditatione versabantur, floremque germanicæ juventatis ad omne officii munus instruebant. Neque enim illi solum adolescentuli informabantur, qui sacerdotium inire volebant, sed filii nobilium ad rei militaris et dicendi juris scientiam erudiebantur[3].

Horum magistrorum nonnulla nomina ad nos pervenerunt : satis sit præclarissima citari, ut sunt abbatis Salomonis, postea Constantiensi diœcesi præfecti, quo sine dubio jubente, « glossæ » illæ compositæ sunt quæ ejus nomine designantur, et illius temporis doctrinæ atque scientiæ totum orbem complectuntur ; Notkeri Balbuli, auctoris *Libri sententiarum*, cujus ab ore, ut ait scriptor Sangallensis historiæ, « insolito rore pneuma pluebat[4] » ; Ratperti, qui *Casus Sancti Galli*, quos postea Ekkehardus persecutus est, incepit ; Tutilonis, qui cum Ratperto et Notkero triumviratum quemdam efficiebat, cujusque industria ornatissima illa diptycha eburnea exsculpta sunt, quæ quondam evangelii codicem operiebant, et ad hunc diem servata admirationem movent ; Folchardi, qui in

1. Cf. Grimm, *Walthrius*, p. VII.

2. Ekk. IV. Casus S. Galli (*Mon. Germ.*, II, 80).

3. Cf. Gfrörer, *Gregorius VII*, vol. I, p. 666 sq. — Stälin, *Wirtembergische Geschichte*, I, 410 sq. — Œfele, *Rerum Boicarum scriptores*, II, 9. — Weidmann, *Gesch. der Bibliothek von S. Gallen*, p. 338. — Scheffel und Holder, p. 118.

4. *Mon. Germ.*, II, 56.

exornandis codicibus pictura excellebat[1]; postremo citandi Ekkehardus noster et Gerhaldus et Notker Labeo, homines scientia præstantissimi, quibus non inferiores fuerunt Ekkehardus IV et amicus ejus abbas Immo, qui posterius vixerunt.

Componendis vero carminibus maximam operam dabant magistri simul atque discipuli. Salomonem illum episcopum Ekkehardus « metro primum » vocat et insignem « coram regibus plerumque pro ludicro cum aliis certatorem[2] ». Ea enim erat plerisque faciendorum versuum semper « parata[3] » solertia, ut quemvis unum inopinanter intrantem, sive principem, sive episcopum, ex improviso fusis carminibus salutarent. Sic Purchardus adhuc adolescentulus ducissam Hadwigam, tam nitidis leoninis versibus allocutus esse dicitur, ut illa non potuerit puerum non osculari. Virgilianis operibus retinendis maxima opera dabatur, ita ut vix ullus inter majores discipulos, quolibet indicato loco, seriem versuum prosequi memoriterque recitare non posset.

In tali ergo schola, ubi non solum patrius sermo patriaque poesis tanto ardore studioque colebantur, sed etiam veteribus litteris tanta opera dabatur, non mirum est hujusmodi carmen natum esse.

Waltharius ergo noster eo attentione dignior est, quod non solum exquisitam illam fabulam nobis indulsit, sed etiam testimonio est quantum peccaverint diutius critici, qui ævum illud « latinæ poeseos » appellatum aversati sint; quam æque contra Grimm litteris consuluerit, talia opera ab injuria oblivionis et fastidii asserendo, qualia nobis in libro suo:

---

1. Folchardi *Codex aureus* (bibl. Gallensi). Cf. etiam de Sintram, solertissimo librario, *Mon. Germ.*, II, 89.

2. *Mon. Germ.*, II, 92.

3. De Purchardo dicitur in *Casibus* (*Mon. Germ.*, II, 125), « metro cum esset paratissimus ».

Lateinische Gedichte des X, XI Jh. non solum legenda tradidit, sed etiam solita scientia et perspicacitate explanavit[1].

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI Idus januar. anni MDCCCLXXXIX,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

1. In fine prioris partis, p. 34 sq., notavimus quam apte descriptio loci, ubi pugnatum est, cum situ loci Wasgenstein nominati congrueret. Quod si quæsiveris quomodo loci tam certa cognitio ad Gallenses monachos pervenerit, notandum est Wasgensteinensem rupem non procul a Wizzenburgensi monasterio sitam esse, cujus abbas Grimaldus, Ludovici Germanici cancellarius, post pugnam apud Fontenay, Gallensi quoque claustro præpositus est ; unde conjicere licet utriusque cœnobii fratres frequentiore consuetudine conjunctos fuisse, auctorem vero carminis, si jam ipse locum non viderit, tamen ab amico aliquo monacho, in Wizzenburgensi claustro diutius commorato, eum cognovisse, nisi forte opinari placuerit, loci descriptionem in ipso germanico poemate, quod Ekkehardo exemplari fuit, antea fuisse.

Nancy. — Typis Berger-Levrault et sodalium.